

Heinrich Bode von

**Henrici Bodini, Jcti, Explicatio Negativi divinæ Majestatis præcepti Non Furtum
Facies : Ex jure Naturali & Positivo utroque cum Divino tum humano, Olim
Rinthelii publica Disputatione proposita**

Nunc denuo Edita, Halæ Magdeburgicæ: Typis Christoph. Andreae Zeitleri, A. 1704

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1851217622>

Druck Freier  Zugang



Bodin,
Non furtum facies,

1704.

72.

Eh 72

749



6
HENRICI BODINI, JCTI,
EXPLICATIO II

*Negativi divinae Majestatis
praecepti*


**NON FURTUM
FACIES,**

Ex jure Naturali & Positivo utroque cum
Divino tum humano,

*Olim Rintbellii publica Disputatione
proposita,*

Nunc denuo Edita.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Ac. Typ. A. 1704.





THES. I.



IN primordiis vitæ humanæ aliud, nunc est, dominium, aliud communionem fuisse, contendit Grot. *de mari lib. cap. 5.* quia dominium nunc proprium quid significat, quod scilicet ita est alicujus, ut alterius non sit eodem modo; commune verò dicimus, cujus proprietas inter plures consortio quodam aut consensu collata est; exclusis aliis. Paupertas linguarum coegit in re non eadem voces easdem usurpare. Commune igitur, ex sententia Grotii, tum non aliud fuit, quàm quod simpliciter proprio opponitur. Dominium verò facultas non injusta, utendi re communi: quem usum scholasticis visum est facti, non juris appellare, quia, qui nunc in jure usus vocatur, proprium est quiddam, aut privativè ad alios dicitur. Et quidem jure primo Gentium; quod & Naturale interdum dicitur; nihil proprium fuisse, sed res omnes communes fuisse Scriptores tradunt, idem innuentes, quod Postæ cùm primos homines in medium quæsisse, & justitiæ casto fœdere res medias tenuisse dicunt. Quod ut clarius explicent, negant, eo tempore campos limite partitos, aut commercia fuisse ulla. Cic. lib. 1. *Offic. Sunt autem privata nulla naturâ.* Horat.

*Nam propria telluris herum, natura nec ullum,
Nec me, nec quenquam statuit. Virgil. 1. Georg.
Nec signare quidem, aut partiri limite campum,
Eas erat, in medium quærebant. Et Seneca in Octav. Act. 2.
Pervium cunctis iter, communis usus omnium ærum fuit.*

Et Tibullus Eleg. lib. 1. 3

Non de-

*Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva lapis.*

Justinus lib. 43. *Erant Saturni aeo omnia communia, & indivisa omnibus, veluti unum cunctis patrimonium.* Hugo de Roy de eo quod *just. lib. 1. tit. 5. n. 1.* verum & indubitatum esse putat, quod dicitur, rerum divisionem ac dominiorum discretionem ex jure Gentium profluxisse, non verò ex eo concludi debere, ipsum dominium ex illo jure ortum habere, vel initio generis humani rationem discretionis hominem latuisse: quia ex eo sequeretur, dominium ab homine ortum habere, ac potestatem discernendi res humanas ab homine profluxisse. Hinc concludit, dominium & potestatem de eo disponendi, à Deo cum jure naturali rationali proditam esse. Verum enim verò, videtur res eodem redire, si quaestio moveatur, ex quo jure dominium ortum habeat, aut unde discretio dominiorum profluxerit, quia ipsum dominium in conceptu suo formali est potestas vel facultas moralis disponendi de re propria, & discretio dominiorum est actus secundus domini. Quare distinctio illa inter dominium & discretionem dominiorum, videtur rejicienda. Si itaque quaratur de communione bonorum, exclusà proprietate & dominio, illa ex sacris literis confirmari nequit. Illud ex sacris Pandectis constat, Deum humano generi generaliter contulisse jus in res hujus inferioris naturæ, statim à mundo condito, atque iterum mundo post diluvium reparato, quo sensu adhuc rectè dicimus, res hujus inferioris naturæ, quatenus sunt domini ac proprietates capaces, ad humanum genus spectare, Verum ex illo fonte malè hoc consecrarium elicitur: Ergo dominium illud universale vel commune, nullam in se continet proprietatem aut dominium privatum, sicuti firmiter concludi nequit; Hispani vel Angli sunt Domini harum vel illarum provinciarum; Ergo. In illis provinciis nulla res est in privato dominio alicujus. Quando itaque Deus contulit humano generi, ante & post diluvium dominium commune Gen. I. v. 29, 30. & cap. 9. v. 2. non est intelligendum tale dominium commune, quod proprietatem vel dominium privatum excludit; Dominium enim commune humani generis, uti rectè tradit Dominus Bœclerus *in not. ad H. Grot. I. B. & P. lib. 2. c. 2.* non potest, nec debet concipi, sine ordine ad dominium privatum, ita constituendum, sicut naturæ rationali ac sociali consentaneum erat. Quæ ergo de figurata aurei

aurei seculi comminione, penes Poetas, Philosophos, Ictos aliosque Scriptores leguntur, ea non nisi Poetico, ficto ac figurato modo sunt accipienda, secundum Lactantium *Divin. Inst. lib. 5. seu de Justitia c. 5.* ibi: *Non ut existimemus, nihil omnino tum fuisse privati sed more Poetico figuratum, ut intelligamus, tam liberales fuisse homines, ut natas sibi fruges non includerent, nec soli absconditis incubarent, sed pauperes ad communionem proprii laboris admitterent.* Et scimus ex Sacris literis, primis hominibus, Caino, agros & fata sua, Abeli pecora & pascua sua, in individuo, propria fuisse, adhuc unumquemq; eorum Domino ex suo obtulisse *Gen. 4. v. 2. 3. 4.* uti fateri cogitur *Grot. d. I. B. l. 2. c. 2. n. 2.* Ex quibus liquidò patet, dominium illud universale generis humani, sub lege privati dominii constituendi, & partiendi acceptum, variis titulis dominii privati propagatum esse ab Adamo & Patribus ante-diluvianis, & à Noacho filiisque ejus post diluvium, *Gen. X, 25. A Japeto & filiis ejus, divisa sunt Insula Gentium, in terris suis, unusquisque juxta linguam suam, & juxta familias suas in nationibus suis.* Quod ait Moises; uti testatur Josephus *de Orig. Jud. lib. 1. c. 3.* Eusebius, Epiphanius, Eustathius, Antiochenus, Chronici Alexandrini Autor, Cedrenus & alii, tum Græcorum, tum Latinorum, etiam Talmudici *Gen. Hierosol. ad tit. Megilla cap. 1. Selden. d. I. N. & G. juxta disciplinam Ebreorum lib. 6. cap. 1. & de Mari clauso lib. 1. cap. 4. Puffendorf. Elem. jurispr. univers. lib. 1. def. 5. §. 17.* Et profecto illi communioni, quam multi fingunt, nec in statu innocentiae, nec in statu post lapsum locus fuit. Non in illo statu: sicuti enim omnis ordo rectae rationi consentaneus, ita pulcherrimus ordo possidendi res quarum dominium universale traditum erat à Deo humano generi, illi statui maximè conveniebat. Sic enim illa prohibitio de non committendo furto non minùs in statu innocentiae, quàm post lapsum fuit insculpta mentibus hominum. In quo igitur statu fuit insculpta mentibus hominum prohibitio furti, in illo etiam fuit privatam dominium: Atqui in statu innocentiae fuit insculpta illa prohibitio &c. Ergo. *Danhawd. dis. Decalog. 16. §. 2.* Multò minùs in statu post lapsum possibilis erat illa communitio, quia, uti docet Grotius *d. I. B. lib. 2. cap. 2. n. 2.* statim quisque hominum ad suos usus arripere potuit, quod vellet, & quae consumi poterant, consumere, ac talis usus universalis juris, erat tum vice proprietatis: nam quod quisque sic arripuerat, id ei eripere alter nùs

alter nisi per injuriam non poterat. In quo verò statu quisquē ad suos usus arripere potest quod vult, & consumere, quæ consumi possunt, in eo proprietates negari nequit. Atqui, ex sententia Grotii, quisquis tale habet jus &c. Ergo. Deinde: In quo statu non nisi per injuriam alicui eripitur id quod arripuit, in eo est Dominium privatum: Atqui in statu post lapsum non nisi per injuriam eripitur alicui id, quod arripuit &c. Ergo. Major est ex terminis vera: qui implicat manifestam contradictionem, negare dominium privatum, & tamen affirmare rem aliquam non nisi per injuriam eripi. Et si societas mortalium sine legibus post lapsum non potuit conservari, ergo nec sine distinctione bonorum. Nec esset societas socialis, posita tali rerum communione. Manet itaque inconcussum, societates cum primis civiles, sine distinctis rerum dominiis & proprietatibus non commodè, nedum feliciter, regi posse & absque illis justitiæ & liberalitatis officia exerceri non posse. Dominus Samuel Rachel *in commentar. in lib. M. Tullii Cic. d. offic. pag. 64.* Et sic rectè Arist. 2. *Polit. 3.* contra communionem bonorum Platoniam disputat, & Lactantius *lib. 3. c. 29.* communionem bonorum & impossibilem & injustam ostendit. Est proinde Dominium privatum, & proprietates juris naturalis & Divini certissimus foetus. Dominus Bœclerus *in notis ad Hugonis Grotii, I. B. & P. lib. 2. c. 2. p. 42.* quod probat hoc argumento: Quod jus à primo rerum hominumque ortu prohibet furtum, illud etiam dominia rerum & proprietatem constituit: Atqui jus naturæ sociale, à primo rerum hominumque ortu, vetuit aliena appeti: Ego jus naturæ sociale proprietatem & dominium constituit. Et satis quidem confidenter statuit Grotius, potuisse illum statum communionis durare, si aut in magna quadam simplicitate persistissent homines, aut vixissent inter se quadam eximia charitate, quod probare vult exemplo, ab Americanis populis, & Essenis, & Christianis, qui Hierosolymis primi exstiterunt, petito; statuens quod in primis hominibus fuerit ignorantia magis vitiorum, quàm cognitio virtutis. Et ideo à primæva illa communione discessum, quod homines non contenti vesci sponte natis, antra habitare, corpore aut nudo agere, aut corticibus arborum, ferarumve pellibus vestito, vitæ genus exquisitius delegissent. Sed hæc doctè refellit Dominus Bœclerus *d. l.* Dominus Zigler *in notis ad Grot.* Quocirca non est ad stipulandum Papæ Clementi *in Con. 2. dilectissimis. 17.*

mis. 12. q. 1. ubi in hanc sententiam erumpit: Communis usus omnium,
quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse debuit, sed per iniquitatem, alius
dixit hoc esse suum, alius istud, & sic inter mortales facta est divisio. Nam
 non per iniquitatem facta est divisio, sed necessariò & justè est facta.
 Et inferunt illi injuriam rectæ rationi, & juri naturali, quicumque
 præfatam divisionem bonorum concordæ aut societati humanæ re-
 fragari sustinent. Quidquid enim ad societatem bene constituen-
 dam ac concordiam in ea conservandam non modò est utile, sed omni-
 no necessarium visum tot nationibus, illud humanæ societati & re-
 ctæ rationi non refragatur: Atqui divisio bonorum necessaria est ad
 societatem bene constituendam &c. Erg. Andr. Rivetus in *Explic.*
decal. p. 356. & seqq. Hugo de Roy de eo quod justum est lib. 1. tit. 5. n. 8. 9.
 Cardin. de Lugo de justit. & jure tom. 1. disp. 6. sect. 2. n. 4, 5, 6. Licet
 verò jure donationis à Deo Adamo, & per hunc in universam genus
 humanum, dominium universale sit collatum, & dominium sit fetus
 juris naturalis, dominia tamen particularia, hujus vel illius Reipubli-
 cæ, Caji, Mævii, Sempronii, non sunt à naturâ, sed illa acquiruntur
 factò hominis interveniente, vel ex dispositioni legis, utro verò id
 fiat modo; vel tunc acquiritur dominium rei originarium, puta, quæ
 in nullius dominio particulari olim fuerit, aut in eo esse desiit. Grot.
d. I. B. l. 2. c. 3. n. 19. Vel derivativum, ubi res ex unius dominio in al-
 terius dominium transit. Grot. *d. I. B. l. 2. cap. 6.* Dominus Rachel
Comment. in libr. Cicer. de offic. pag. 64. unde illud Eustatii Ale-
 xandrini emanavit, in Hexaemero de Noachidis illis primævis,
 ἔλασος τὴν προστυγάνωσαν γῆν καταλαμβάνει. hoc est: *unus-*
quisq; terram sibi primo obviam occupavit. Et sic factum est, ut orbis ter-
 rarum paulatim in proprietatem hujus vel illius iverit occupatione *l. 3.*
ff. d. acq. rer. dom. & l. 1. §. 1. ff. d. acq. vel amitt. poss. quæ etiam est re-
 ceptissima Talmudicorum sententia, [juxta quam penes eos obtinuit,
 quicumque prius occupaverat, dominum factum esse, uti hoc confir-
 mat Rabbi Maymonides, ex ratione præfatæ sententiæ de jure No-
 achidarum naturali: nempe; *Quod nemini occupatum est, occupanti*
concedi. Halach Zachia, *Wemithma cap. 1.* & pluribus aliis locis ex
 Gemara & Alcorano Johannes Seldenus, honos Britannicæ (uti eum
 vocat. Grot. *d. I. B. l. 2. c. 2. §. 2. ad verb. ut per occupationem,*) *d. I. N.*
& G. juxta discipl. Ebraor. lib. 6. c. 4. in fin. p. 686. ubi notat, se non
 videre

videre nisi supponatur de occupationis titulo in posterum admittendo, pactum ac consensus per genus humanum ex vetustis illis seculis propagatus ac retentus, quâ ratione occupatio simplex alios, cui pariter occupandi jus competit, excluderet. De quo pacto ac consensu etiam agit de *Mari clauso lib. 1. c. 4.* quem Tractatum in Thalassocrat. vocat Grot. *d. I. B. ac P. d. l.* qui etiam illam sententiam amplecti videtur in verbis: *Simul discimus, quomodo res in proprietatem iverint, non animi actu solo; neque enim scire alii poterant, quid alii suum esse vellent, ut eo abstinerent; & idem velle plures poterant; sed pacto quodam aut expresso, ut per divisionem, aut tacito, ut per occupationem. Simulatque enim communio displicuit, nec instituta est divisio, censeri debet inter omnes convenisse, ut quot quisque occupasset, id proprium haberet.* Verum, qui divinitus traditum & donatam hominibus proprietatem, tum quæ imperium, tum quæ dominium constituit, ex historiâ sacrâ novit, illi occupatio non est causa proprietatis, sed proprietas est causa occupationis & divisionis: Boecl. *in notis ad H. Grot. I. B. & P. p. 46.* Actu enim primo dominium fuit penes Noachidas, per occupationem verò dominium actu secundo fuit acquisitum. Dn. Rachel *in Comm. in Cic. d. offic. p. 65.* Ex hisce liquet, proprietatem rerum à Deo homini datam, non occupatione demum ac divisione ortam esse, quasi per has dominium adepti fuerint, verum occupationem, quæ divisionem secuta, hoc præstitisse, ut jure proprietatis divinitus acquisitio, possessionem mortales per illam adipiscerentur, ita tamen, ut proprietate istâ quantumvis stante, nihilominus quædam res possessionis vacuæ manserint. Dn. Strauch. *de Imperio Maris, c. 1. n. 12.*

THESES. II. Sicut vero in rerum communium statu, si admittamus sententiam Grotii de primæva communione rerum, quæ omnem proprietatem excludit, observanda erat æqualitas quædam, ut huic non minus, quam alteri rebus communibus uti liceret, ita introducto dominio hæc quasi societas inter Dominos contracta est, ut qui rem alienam in suâ haberet potestate, eam dominio redderet. *Grot. d. I. B. l. 2. c. 10. n. 1.* Nec interest ad Dominii naturam, ex jure Gentium, an ex civili jure oriatur: semper enim secum habet, quæ sibi sunt naturalia, inter quæ est obligatio cujusvis possessoris ad rem domino restituendam, & ubi Dominium aut jus aliud alicui legitimo modo partum est, id ne ei sine causa auferatur, est juris naturalis, *Grot. d. I. B. l.*

2. c. 14. n.

2. c. 14. n. 8. & l. 3. c. 20. n. 9. Quia jus naturale non de iis tantum agit, quæ citra humanam voluntatem existunt, sed de multis etiam, quæ voluntatis humanæ actum consequuntur. Suarez. d. LL. lib. 2. cap. 14. n. 7. uti probat Grot. d. I. B. l. 1. c. 1. n. 10. exemplo dominii, quale nunc est, quod ex ejus sententia voluntas humana introduxit, at eo introducto nefas mihi esse id arripere te invito, quod tui est dominii, ipsum indicat jus naturale, quare furtum naturali jure prohibitum dixit Paulus, in l. 1. ff. d. Furtis. Ulpianus, naturâ turpe, in l. probrum. 42. ff. de V. S. Nos in præsentiarum constituimus explanare hanc legem Decalogi quæ prohibet illum actum injustitiæ, qui res expetibiles spectat sive directè subtrahendo, sive dolo malo causam dando damni, quod non tantum determinandum existimavimus ex sententiis Ictorum, ne Judices in propriâ causa refellerentur, sed etiam firmitermentum quæsimus ex assensu Philosophorum ac Theologorum, quorum rationes admiscuimus: Secuti sumus hac in materia illos, non ut Juris nostri, sed ejus quod justum vel injustum est interpretes: Quod si passim Philosophiæ principia, ac Theologiæ præcepta traderimus, non ob id falcem in alienam messem immisisse videri possumus; Cum enim ex iis deducatur quod in quæstione versatur, justum & injustum, infelicissimè iis omisis de eo quod justum vel injustum est disputaretur. Sunt Theologiæ & Juris prudentiæ certi sui fines & veluti limites, intra quos unaquæque quod suum est agat: Et hætenus Jurisprudencia divinas res non aliter pro objecto habet, quam quatenus de jure illarum quæritur, ut sciamus an in iis aut ad eas & quatenus jus aliquod competat. Arn. Vinnius §. 1. Inst. de Just. & J. Vicissim tamen Theologia non invita Jurisprudentiæ permittit, ut ex suo nonnunquam mutuetur promptuario, quod ad meliorem rerum facit notitiam, cum non Jcti tantum simus hodiè, sed etiam Jcti Christiani vid. Besold. in Templ. Justit. n. 65. imo, quis vellet se tali committere Jcto, qui solo Prætoris edicto, religionem ad id non pertinere, ex novissimo illo non malo Cujacii effato persuasum habuerit. Dn. Casparus Zigler in eleganti Disput. de Baptism. non iterando n. 4. & in notis ad Grot. de I. B. & P. in proleg. pag. 37. 38. 39. Ut vero certa methodo progrediamur Primò explanabimus mentem hujus legis prohibentis, & ex quo jure illa prohibitio fluat: Secundò exhibebimus materi-

am seu res quæ in furtivam causam cadunt : Tertio pertractabimus ampliationes quæ ex ratione legis in hoc interdicto continentur : Quarto concinnabimus limitationes, quibus illa prohibitio furti est temperanda : Quinto enucleabimus ad quid Possessor rerum alienarum, & speciatim fur in auditorio conscientia teneatur : Sexto considerabimus actiones, quæ in foro exteriori contra fures dantur ; ut & de constituta poena furti.

III. Hæc lex, *non furaberis*, prohibet alieni subductionem, five ea vi, five dolo fiat. Grot. *in explic. hujus præcepti* : Et sic virtualiter ex ratione legis multa comprehendit : Quod spectat furis & furti Etymologiam, monendum est quod de ea varia variorum, uti videre est in *l. 1. ff. d. Furtis. §. 2. Inst. eod.* fuerint conjecturæ, quas jam olim disputavit Paulus Jctus : Et videtur explora tanquam longius quæsitâ & literis minus conveniente conjectura, Sabini Jcti illud à fraude deducentis, quia furtum non tantum fraude fit, verum etiam quæcunque subdole & fraudulenter peraguntur furta, (latius scilicet vocabulo sumto) & furtim fieri dicuntur : Nec non illa Labeonis Jcti, qui aliàs in penetrandis verborum originibus sagacissimus. *Gell. 13. N. A. 10.* derivantis hoc à voce furvum, quod idem ac atrum seu nigrum significat, factâ denominatione ab eo, quod furtum fiat clam, occultè & latenter, imo ut plurimum nocte. *Gell. 1. N. A. 18. Catull. Epigram. 58.* canit ; *Nocte latent fures.* Illa autem subsistit notatio, quod fur dicatur à ferendo seu amovendo. *l. 1. ff. d. furtis. l. 28. §. 19. ff. eod.* quam etiam probat Anton. Matth. *de crimin. b. t. c. 1. n. 1.* confirmatam à *Gell. d. L. Tabor in Racem crim. tb. 1. n. 3. 4.*

IV. Homonymiam quod attinet, furtum dupliciter considerari potest : 1. in sensu Philosophico, 2. in sensu Legali & juridico ; priori modo considerandi, fur dicitur homo furax, ex animo furandique indole, licet actu furtum non commiserit, uti sumitur, quando quis stipulatus furem non esse. *conf. l. 170. 225. de V. S.* Posteriori vero modo juridice & legaliter furtum sumitur in genere, vel in specie. Generaliter furti etiam nomine continetur rapina, *in pr. Inst. d. vi bon. rapt. l. 2. §. 10. ff. eod.* & Sacrilegium, Peculatus, Abigeatus, effractio, expilatio *l. 80. §. 3. ff. d. furt.* Specialiter iterum sumitur vel proprie, vel improprie ; Proprie sumtum iterum dupliciter consideratur, vel materia-

materialiter, ut est factum, quo quis delinquit, & hoc respectu in §. 1. *Inst. b. t. & l. 1. §. 3. ff. cod. generis loco ponitur contrectatio.* Vel Formaliter & in se, & tunc rectius definitur, per delictum privatum, quam per contrectationem fraudulosam arg. §. 11. *Inst. d. Furt. Petr. Theodor. 2. Colleg. crim. 5. lit. A. Tabor. Racem. crim. 2. th. 1. n. 8.* Improprie sumitur furtum (1) pro refurtivâ sine furtô ablata *l. 3. pr. l. 4. ff. d. Furt.* (2) per Metaphoram pro eo quod clam latenter & astute perpetratur *l. 7. C. de repud. ibi non videtur iniisse nuptias furtivas Nov. 14. C. 1. in medio. verb. Si enim ibi castitatis furtum.* Curt. 4. 13. 4. ubi Cl. Freinsheim. *in indice Verb. furum solertia.* Salmas. *de Fanor. Trapet. p. 105.* Andreas Rivet. *in explic. Duc. p. 131.* Definitur furtum à Jcto ita: ita Furtum est contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere *l. 1. §. ult. ff. d. Furt. Constant. L'Empereur. d. LL. Ebraeor. for. C. 7. §. 5. pag. 160.* Dicitur contrectatio, quia ad crimen furti contrahendum, non requiritur ut auferatur, sed sufficit eam dolo malo, lucri faciendi gratia contrectari, *l. 48. §. 1. ff. d. Furt. l. 14. C. cod. §. 6. Inst. eod. l. 3. §. 18. ff. de acquir. v. a. poss. l. 7. ff. de Furt. l. 10. d. Cond. Furt.* Hoc verò verbum contrectationis docet solam inficiationem in foro exteriori furtum non esse *l. 67. ff. d. Furt. d. l. 3. §. 18. d. acquir. v. a. poss.* Sequitur in definitione Fraudulosa, quo verbo admonemur, non satis esse contrectari, nisi id fiat dolo malo & invito Domino Bach. *ad Treuil. Vol. 2. disp. 30. th. 1. lit. F.* Ant. Matthæi *d. Crim. p. 69.* Si enim quis volentò Domino contrectet, tamen si dolo, aut contra, si sine dolo, licet Domino invito, dicitur furtum non fieri in sensu juridico, quia placuit sine affectu furandi furtum non committi. *l. 46. §. 7. & l. 48. §. 2. ff. d. Furt. §. 7. 8. Inst. eod. l. 31. ff. Prò Socio.* Hinc rerum hæreditariarum furtum non committitur *l. 43. §. 5. ff. d. Furt. l. 1. §. 15. ff. Si is qui test. lib. l. 1. ff. d. R. D. Vid. Leonh. Less. d. Justitia & Jure l. 2. c. 12. dub. 1. Div. Thom. 2. 2. qu. 66. art. 3.* ibique Cajetan. Andr. Rivet. *in Explic. Decalogi pag. 351.* Brevius non nulli Theologi furtum definiunt: Quod sit occulta rei alienæ acceptio, invito domino. Thom. 2. 2. qu. 66. art. 3. Molin. *d. Just. & J. tract. 3. disp. 68. n. 26.* Dicitur occulta ut distinguatur à rapina & aliis injustis acceptionibus per iniquos contractus; Differunt enim specie ratione inju-

ne injuriæ, furtum & rapina. D. Thom. *d. art. 7.* ibique Cajetan. quia rapina in conceptu suo formali involvit violentiam, quæ fiat Domino sciente, quam furtum excludit. Itaque novam rationem injuriæ continet, quia novam rationem involuntarii: Aliud enim est Involuntarium per ignorantiam, aliud per vim. D. Thom. *1. 2. qu. 6. art. 5. §.* Quamvis utrumque sit involuntarium, alterum tamen est longe magis involuntarium & alterius rationis. Hinc raptor dicitur in *pr. Inst. d. vi bon. rapt.* Improbus fur id est ἀναίδῃ ἀναίχωντος impudens, audax, atrox fur. Chrysof. in Matth. Homil. 53. ἔ δὴ κλέπτονος ὁ ἀεπάζων χείρων. At Judæi contra sensisse videntur. vid. Maimonid. libro מורה נבוכים seu Doctor perplexorum parte 3. cap. XLI. p. 461. Constant. L'Empereur *d. LL. for. Ebraeor. C. 9. §. 1.* Et aliud judicium Aristotelis in *Rhetor. ad Alex. C. 12.* ubi hæc legimus: δεινότερά μοι δοκῶσιν οἱ κλέπτονας ληιστομένων ποιεῖν, οἱ μὲν γὰρ λατρεῖας οἱ δὲ φανερώς τὰ χεῖματα περιαιρῶνται. *Pejora mihi videntur fures quam raptores admittere. Nam fures clam, raptores aperte rem auferunt.* Differt ab injuria quæ fit per contractus injustos, in his enim contrahens patitur damnum involuntariè mixtum, si sciat iniquitatem contractus, id est partim voluntariè partim involuntariè, mavult enim hoc damnum injustè pati quam contractum omittere: Si autem ignoret contractus iniquitatem, erit ejusdem ac furtum rationis, habuit enim jus ex natura contractus ne deciperetur & ex naturali libertate ne cogereretur H. Grot. *d. J. B. & P. lib. 2. cap. 17. num. 17. lib. 3. C. 19. n. 4.* Ex his constat, rationem genuinam communem furti & rapinæ esse injustam ablationem rei alienæ absolutè involuntariè. Ut vero contineat etiam injustitiam contractuum, dicitur injusta ablatio rei alienæ. Notandum hic aliquando omnem injustam acceptionem vocari furtum & rapinam. *Cap. Si quid. 14. qu. 5.* Ex D. Augustino: *Si quid invenisti & non reddidisti rapuisti.* Et cum Exod. 20. prohibeatur furtum, omnis iniqua acceptio rei alienæ est intelligenda. Uti docet Augustinus *lib. 2. qu. 72. in Exod. Less. d. Just. & J. Lib. 2. C. 12. dub. 2.* In latissima significatione denotat quamvis actionem vel omissionem injustam circa bona fortunæ. Ita accipitur in hoc præcepto Decalogi. Dn.

Hahn.

Hahn. ad Wesemb. *Tit. d. Furt. num. 7.* Distinguaus hic profes-
siones, & tribunalia. Fur, latro, adulter Theologi & in sanctiori tri-
bunali conscientiae fit ex sola cogitatione *Matth. 5. vers. 28. Rom. 2.*
v. 15. Cap. qui viderit XXXII. 1. Et licet internae actiones mentis sine
externis signis ab homine cognosci nequeant, attamen Theologus
totus fertur in conscientiam hominis, atque in eam legis naturae & di-
vinæ fulmina vibrat, quippe quam non tantum externa hominis
membra, sed etiam facultates internas & animi viscera obligare, ex
verbo Dei ostendit Dn. Zigler in *Disput. de baptismat. non iter. num. 5.*
Similiter Ethicus habet iudicium, tribunal conscientiae, & dictamen
rectae rationis, quo quisque vitiorum suorum Actor, Reus, Testis &
Judex est. Hinc illa conscientiae supplicia pro Sext. Roscio & in Pi-
sone per Furiarum tædas ardentis à Poetis denotata fuisse Cicero,
docet. Juvenal. *Satyr. 13.* hanc poenam multò graviorem esse dicti-
tat, Coeditii & Rhadamanti tormentis: Optimè Seneca Epist. 93.
*Prima illa & maxima peccantium est pœna peccasse, nec ullum scelus
impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est. Nullum
enim detrimentum majus excogitari potest, quam quod animo infer-
tur à vitio.* Hinc Franciscus Piccolom. inter poenarum gradus malam
Conscientiam recte collocat *grad. 9. Cap. 53.* Pythagoras: *Vir ini-
quus plus mali patitur affectus Conscientiâ, quem ille qui in Corpore
castigatur & flagris caditur.* Stobæus *Cap. 22.* Cic. *Orat. pro Mil.*
*Magna est vis Conscientiæ in utramque partem, ut neque timeant qui
nihil commiserint, sed poenam semper ante oculos versari putent, qui
peccaverunt. Si qui opibus hominum sibi contra conscientiam septi &
muniti esse videntur; Deos tamen horrent, easque ipsas sollicitudines,
quibus earum animi noctes atque dies exceduntur à Diis immortalibus
supplicii causa importari putent.* Cicero de finibus. Juvenalis *Satyr. 13.*

*Has patitur pœnas peccandi sola voluntas,
Nam scelus inter se tacitum qui cogitat ullum
Fæli crimen habet, cedo, si conata peregit.*

Tanto enim studio & religione ejusmodi deliberationes nefariæ
sunt fugiendæ, ut quamvis spes sit posse omnia tua consilia latere,
tamen ejus generis consultationes instituere nolis. *Etiamsi* inquit
Cicero *Lib. 3. offic. omnes Deos hominesque celare possumus.* Hæc

Stoïca magnificentia jactitantur, si enim Deus falli posset, quæ foret religio, quodnam jus; quia omnis ejusmodi obligatio à superiori autoritate suum nexum & vim habet Selden. *d. J. N. G. Lib. 1. cap. 8.* Imperii vero humani primaria materia sunt actiones externæ, secundaria internæ, non propter se sed propter externas, indeque circa internas, quatenus hæ ab externis sunt omnino separatae, imperium humanum non occupatur, quando intelligendum quid dicantur leges Romanæ *in l. 18. ff. de pœnis* cogitationis pœnam neminem mereri Grot. *d. J. B. & P. Lib. 2. cap. 20. num. 18.* quia hoc imperium requirit materiam, cujus natura in imperantis notitiam cadit, atqui solus Deus est *καρδιογνώστης* & in corda hominum imperium obtinet. Hominibus actus aliorum interni sua natura sunt incogniti. Secundario verò actiones internæ subjacent imperio humano, vel ex intentione imperantium, ubi actus internus cum externo est conjunctus, & in eum quasi influit, quomodo in delictis perfectis aut inchoatis animus æstimatur. *l. 14. ff. ad L. Cornel. de Sicariis*, aut quodam percussu, ut quia aliqua actio ob legem positivam prohibentem facta est illicita, ideo & cogitando talem actionem, ut faciendam eligere, illicitum, non quod cogitationi propriè lex humana sit posita, sed quia nemo potest honestè velle, quod factu turbe est D. Thom. *2. 2. q. 104. art. 5.* Puffendorff. *Elem. Jurispr. Lib. 1. Def. 13. §. 19.* In foro itaque humano, qui nunquam rem alienam invito Domino contractavit, nunquam alienam matrem familias corripit, tametsi ejus mentis sit, ut occasione data id commissurus sit, fur vel adulter non est *l. 225. ff. d. V. S.* Anton. Matthæi *de Crim. pag. 7.* Hominum leges ut ait Cicero iniqua tollunt quatenus teneri manu possunt, id est quatenus actio aliqua ex dictis factisque externis oritur. Philosophi quatenus ratione & intelligentia, Philosophia enim ipsum animum percrutatur & præcipue *ὑποψιθεσι* investigat, Rectè Seneca *Lib. 2. de Ira Cap. 27.* *Quam angusta innocentia est, ad legem bonum esse? Quanto latius officiorum patet quam juris regula; quam multa pietas, humanitas, liberalitas, justitia, fides exigunt, que omnia extra publicas Tabulas sunt.* Vid. Grot. *d. J. B. & P. lib. 3. cap. 10. n. 1. & lib. 2. cap. 12 n. 12.*

V. De malitia & turpitudine hujus actus hõc notandum, quòd

quòd bonum juxta sanctum Augustinum in *Psal. 13.* dividi possit in bonum à seipso & bonum ab alio. Illud dicitur bonum per essentiam; Hoc vero bonum per participationem: Bonum per essentiam tribus modis dici potest (1) id cujus essentia est bona, atque hoc modo omnis creatura est bona, cum cujuslibet creaturæ essentia sit bona (2) cui omnis bonitas & perfectio necessario competit & de ejus essentia est. Hoc sensu solus Deus est bonus per essentiam Tertull. *lib. 11. contra Marcion.* *Bonus naturâ Deus solus est, qui enim quod est, sine initio habet, non institutione habet illud sed naturale.* (3) Ratione solius bonitatis essentialis ita ut bonitas essentialis ejus necessario actu existat & non possit non inesse actu. Hoc modo solus Deus est bonus, nulla vero creatura per suam essentiam est bona; sicut enim omnis creatura potest non esse ita etiam actu potest non habere bonitatem D. Thomas *part. 11. §. 6. Art. 3.* Bonum per participationem est, quod ab alio nempe à Deo suam bonitatem habet Augustin. *l. 1. de Manich. c. 4.* quod rursus dividi potest in bonum transcendens seu metaphysicum, quod cuique rei competit quatenus est & esse potest. Naturale seu physicum, quod consentaneum est cuicunque naturæ secundum id, quod naturaliter est, vel quod naturaliter operari potest; Ut calor ignis, aquæ frigus, forma hominis. Denique bonum morale dicitur quod est conveniens naturæ rationali prout est rationalis, hoc est, ut libere operatur. *Mos enim,* inquit Suarez, *unde morale dictum est, in libera operatione consistit, quamvis ergo bonum naturale & morale conveniant in hoc, quod utrumque est per se conveniens alicui rei seu naturæ (hec enim ratio excludi non potest ab eo bono, quod per se & simpliciter tale est) differunt tamen, quia bonum naturale præcise respicit naturam ut sic seu ut naturaliter operantem, bonum autem morale respicit illam, ut elevatur ad modum operandi liberè quod propriissimè illi competit, ut rationalis est & ideo dicitur bonum morale consentaneum naturæ rationali, ut talis est, tam in gradu, quam in modo operandi.* Bono opponitur malum quod est privatio peculiaris alicujus boni non transcendentalis, nec enim ullum ens essentialiter malum est, esse enim aliquid essentialiter malum, idem est quod non habere omnia quæ ad ipsius essentiam requiruntur, At cum essen-

tia re-

tiæ rerum sint indivisibiles & numeris similes *Aristot. 8. Metaph. C. 3. tit. 10.* qualibet res habet omnia quæ ad ipsius essentiam requiruntur, aut si qua parte sive perfectione essentiali careat, jam non esset talis res v. g. Homo carens anima rationali, non est homo, tantum abest ut homo sit essentialiter malus, Dn. Musæus *in Insb. Metaph. C. 36. §. 26.* Malum physicum vel naturale dicitur si aliquid desit ad agentis integritatem requisitum, quomodo homini disconveniens mala Concoctio, febris, quæ illam sequitur & mors. Malum morale seu turpe dicitur, quod est disconveniens naturæ ratione utenti qua tali; Quomodo turpe est homicidium, adulterium, furtum, &c. Malum ad modum reliquorum concretorum duo includit, materiale & formale; illud est natura seu subjectum & positivum quippiam, cui formale utpote defectus inest. Hoc est formale seu defectus sive carentia bonitatis seu perfectionis debitæ; & quidem quod illud materiale sit aliquid positivum omnes uno calculo admittunt. Certum enim est, malum non nisi in Ente positivo fundari, & exinde infert Sanctus August. Si bonum non esset, in quo malum esset, quod nec malum esse potuisset. Vetus est error Manichæorum & Priscillianistarum affirmantium: Malum quoad formale esse positivum quippiam, quæ sententia adversatur S. Scripturæ, & venerandæ Antiquitati, & hac ratione refellitur: Nulla res est mala formaliter per id quo est bona Atqui omnes res quatenus est Ens & natura quædam positiva, est bona. E. nulla res quatenus est Ens & natura quædam positiva est mala formaliter. Porro si nullum Ens positivum est malum formaliter, & nullum formaliter malum est Ens positivum, sed quoddam non Ens. Omne malum formaliter est carentia perfectionis, inesse debitæ, nulla vero substantia, nec ullum accidens positivum qua tale & per se est talis carentia, sicut enim manifestam involvit contradictionem, simul esse & non esse, ita etiam est contradictio in appposito, aliquid formaliter & Ens positivum esse & privationem. Malum; itaque formaliter non est entitas quædam positiva, nec pura & simplex negatio sed dicitur perfectionis privatio seu carentia. Cajetan. *in 1. 2. qu. XIII. & LXXI.* duplicem malitiam in peccato commissionis comminiscitur, unam quæ sit simpliciter talis, & hanc statuit esse privationem boni, quæ

ni, quæ actum in se reddat malum. Alteram, quæ sit talis in genere morum, & hanc vult in seipsa quandam naturam & bonam in genere entis, quæ actum in se non reddat malum, sed respectu hominis, utramque in quolibet actu turpi & prohibito reperiri, moralem tamen esse præcipuam. Verum hæc sententia est falsissima, ex illa enim concludi potest, Deum esse Authorem peccati, ut malum morale est, quod impium dictum. Omne enim ens creatum suam entitatem à Deo habet. Atqui malum morale ex sententia Cajetani est formaliter operatio positiva. E. mali moralis Deus est causa. Quæ illatio à nemine negari vel labefactari poterit, nisi quis velit præter Deum aliquod principium entium agnoscere, quod impium & cogitatu nefas est. Et porro inferri potest. Si Deus est causa mali moralis, hoc vero malum est causa propria nostræ damnationis, sequitur necessario Deum esse veram & propriam causam nostræ damnationis quod in divina Majestate summè blasphemum. Ex his colligi potest, quòd malitia moralis sit sita in disconvenientia cum natura rationali & sociali. Nec longè quærenda ratio, cur hæc prohibitio furti, Juri naturali attribuat, nam non tantum hoc interdictum furti, inter præcepta omnibus Noachidis à Deo data Hebræi memorant Gem. Bab. ad Tit. Sanbed. cap. 7. Maymon. Hal. Melachim c. 9. Hugo de Roy de eo quod justum lib. 1. Tit. 3. n. 7. Joh. Selden d. 7. Nat. & Gent. lib. 6. c. 1. 2. Sed etiam Philosophi testantur. Ut Aristoteles l. 2. Ethic. c. 6. Contra naturam esse ait Tullius d. officiis 3. ex hominis incommodo suum augere commodum, Et alibi, illud natura non patitur, ut alienis spoliis nostras facultates, copias, opes, augeamus. Arnol. Vinn. ad §. 1. Inst. d. Furt. n. 6. Hujus edicti tanta est æquitas, ut multum hinc definiant Jcti, extra legum præscripta semper ad ipsam æquitatem ut evidentissimam provocantes l. 206. ff. d. R. I. ibique interpres l. 17. §. f. ff. d. Inst. act. ubi Proculus ait: Videtur enim dolum malum facere, qui ex aliena jactura lucrum quærit. Ubi doli mali vox id omne significat, quod naturali Juri & æquitati repugnat, l. 7. ff. ad Scm. Vellej. l. 55. ff. d. donat. int. V. & Vx. l. 55. in pr. vers. secundum quæ ff. d. act. empt. Vend. H. Grot. d. 7. B. & P. lib. 2. cap. 10. n. 2. Qui hoc exemplis eleganter comprobatur. Rectè itaque furtum naturali Jure prohibitum dixit Paulus Jctus in l. 1. ff. d. furt. Natura turpe. Ulpianus l. 42. ff. d. V. s. ibique Wissenbach. Deo displicere, Euripides his in Helena Versibus:

C

Nan-

*Namque odit ipse vim Deus, nec divites,
Nos esse rapto, sed probè partis cupit.
Spernenda, si non jure veniat, copia est,
Communis aether hominibus, tellus quoque;
In qua ampliare cuique sic fas est domum,
Ut ab alienis rebus ac vi temperet.*

H. Grot. *d. J. B. & P. lib. 1. c. 1. num. 10.* Guil. Grot. *d. princ. I. nat. c. 13. n. 2.* H. Grot. *d. J. B. & P. in Proleg. capita juris naturalis ex societatis custodia deducit; Quo refert alieni abstinentiam lib. 1. d. 1. & si quid alieni habeamus aut lucri inde faciamus, restitutionem lib. 2. cap. 10. n. 1.* Promissorum implendorum obligationem *lib. 2. cap. 11.* Damni culpa dati reparationem *lib. 2. cap. 17.* Et poenæ inter homines meritum. *Vid. eund. lib. 2. c. 20. n. 43.* Injustitia autem eo major est quo majus alteri damnum inferitur; Illius quæ singulos transgreditur maxima est quæ vitam, proxima quæ familiam, cujus fundamentum est matrimonium, postrema quæ res singulas expetibiles spectat. H. Grot. *d. J. B. & P. lib. 2. cap. 20. num. 30.* Puffendorff. *Element. Jurispr. lib. 1. definit. 18. §. 12.* Et Profecto societas mortalium ad quam geniti sunt homines, constare non potest, nisi possessiones cujusque tutæ sint; Quare qui privato aliquid eripit & subripit, lædit simul Rempublicam, ejus vinculum dissolvendo; nec dubium est, quin qui id sibi indulget, si posset, omnia omnium sit invasurus, ipsamque Rempublicam vi facturus suam, injustitia enim vires nata maximas, fit tyrannis. H. Grot. *in Explicat. Decal. Moral. ad verba εὐκλείδης non furtum facies.* Omnino vero explodendi Pyrrhonii qui (teste Diogene Laertio in Pyrrhon.) tradiderunt; Nihil natura turpe esse, sed lege, opinione & instituto hominum. *Τὸ δίκαιον εἶναι καὶ τὸ αἰσχρὸν εἶναι φύσει ἀλλανόμω.* *Justum & turpe esse non natura sed lege.* Et in vita Aristippi hoc refert dogma Cyrenaicorum *μηδὲν εἶναι φύσει δίκαιον ἢ καλὸν ἢ αἰσχρὸν, ἀλλὰ νόμω καὶ ἔθει.* Nihil esse natura justum sive malum sive turpe, sed lege & more. Contra quos latè disputat Cicero *lib. 1. d. LL. Ant. Matthæi d. Crim. pag. 72.* Seldenus *d. J. Nat. & Gent. lib. 1. c. 8.* & H. Grot. *in proleg. d. J. B. & P.* Fatemur quidem quod Regula illa Juris naturalis, cognationem quandam inter homines esse à naturâ, ac proinde nefas esse, alterum ab altero lædi, ut etiam ante diluvinum ita rursus aliquo post diluvinum

Iuvium tempore, malis moribus sit oblitterata; Ita ut latrocinari & præ-
 das agere in exteros nullo bello indicto pro licito haberetur. Cælar.
de Germanis: Latrocinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cu-
jusvis civitatis sunt. Accedit tectis Tacitus *de moribus Germanorum*
 Grot. *de Jure Belli & P. lib. 2. c. 15. n. 5. & lib. 3. c. 9. num. 18. & in flor.*
spars. ad Jus Just. Tit. d. Colleg. & Corpor. & d. verit. relig. Christ. lib. 2.
n. 12. in annot. ad Lit. F. J. Selden. d. 7. Nat. Gent. lib. 1. c. 6. Claud.
 Salmas. *d. usuris pag. 136.* Incomparabilis B. Calixtus Theol. Moral. d.
 LL. pag. 49. usque ad pag. 59. Nihilominus tamen ipsum *αυτοδίκαιον*.
 seu quod per se atque ex sui natura justum est ex Dei supremi imperantis
 præscripto, perpetuo sibi simile manet, & semper partem obligationis
 vim obtinet. i. e. plane est immutabile. Vid. Mich. Ephes. *ad 5. Eth. &*
 Albert. Bologn. *de Lege Jure & Equit. c. 16. §. 16.* Hug. Grot. d. J. B. &
 Pac. Nec aliunde evenisse fingi posse videtur, Receptam illam maxime
 apud Græcos & Romanos sententiam, de scelerum pœnis apud inferos
 dandis. *Amphytrio apud Senec. in Hercule Eur. act. 3. ad Theseum inde*
reducem.

*Verane est fama, inferis
 Tam sera reddi jura, & oblitos sui
 Sceleris, nocentes debitas pœnas dare?*

Cui ille

*Quod quisque fecit patitur; Autorem scelus
 Repetit, suoque premitur exemplo nocens.*

Selden. *d. 7. Nat. & G. lib. 1. cap. 8. p. 98.* Principia juris naturalis, si
 modo animum recte advertas, per se patent atque evidentia sunt, ferme
 ad modum eorum quæ sensibus externis percipimus; quia ipsi bene
 conformatis sentiendi instrumentis, & si cœtera necessaria adsint, non
 fallunt. H. Grot. *d. 7. B. & Pac. in Proleg. Eleganter Selden. lib. 1. d.*
7. Nat. & G. cap. 9. Similitudinem quidem hanc Radium solarium &
visus in re intelligendi, etiam ubi intellectus agens ipsius anima par esse
admittitur, in Scholis crebro adhibitam, nemo nescit. At vero Ebra-
 orum mihi heic sensus est hujusmodi: Sive Numen ipsum, sive Intelli-
 gentiam quam vocant *Postremam*, ut ministrum Numinis, non aliter ri-
 ze intelligendi actum menti humane semper præstare; quam Solem seu
 corpus lucidum oculo videndi actum. Atque ut in lumine claro & quem-

G 2

admodum

admodum oportet incidente, oculo nullo modo se male habenti, nec incommode posito, objecta satis rectè internoscuntur, quod non fit in tenebris, aut obscuro lumine, aut oculoegro, aut male sive se habente, sive collocato; Ita etiam menti seu Intellectui humano non depravato ac diligentius intuenti, Intellectus Agentis ope illuminante, imperata illa, quæ ex Nature parentis instituto sunt observanda, uti & cætera etiam Intellectus objecta (tam sc. vera ac falsa, quam bona & mala) indicari: Depravatam autem mentem etiam & intellectum humanum qualemcunque, citra ejusmodi opem, in Imperatis illis cæterisque rite discernendis, plane hallucinari. Nimirum ut oculo à sole seu ex radiis solaribus in horologio aliterve, hora ad amussim demonstrantur, ita velut in appensâ ob intellectum humanum perpetuo tabula, seu libro expanso, indicari ei rite dispositio (Ex Intellectus qualem diximus Agentis subsidio, quo Phantasmata rite intelligibilia fiant) Præcepta illa seu jura Naturalia, ut perpetuo obligantia, quemadmodum etiam cætera quæ humano arbitrio permittuntur. Neque vero principia generalia tantum, qualia sunt; Bonum amplexandum; Malum fugiendum; Honestè vivendum; sed & conclusiones & Propositiones, quibus quenam particularius bona, quenam mala, ex natura sui, i. e. ex Nature parentis placito ac Imperio habenda fuerint, hoc modo hominibus primis, seculisque sequentibus, juxta jam dicta, indicari atque imperari asserunt; Quod ex sequentibus facile constabit; Nec quod societati humanæ optime conservanda conducatur præceptum ullum, ita prætermittere sibi videntur. Atque ita demum ex perpetua indicatione simulatque Imperio Numinis, præcepta juris Naturalis haberi volunt, non aliter atque objecta visus à luce indicari, quæ tamen Cæcutientibus, Lusciosis, Myopibus, aut neutiquam omnino, aut male nimis cernuntur. Vti hoc etiam accurate deducit lib. 1. cap. 1. pag. 6. d. l. Quamvis itaque concedamus, quod universus terrarum orbis injuriis abundet, inde tamen justâ consequentiâ deduci nequit, nullam legem prohibentem furta & alia delicta mentibus hominum esse insculptam, vel naturam humanam, hujusmodi furta, rapinas, homicidia tanquam licita & honesta permittente; ut hoc eleganter probat Rob. Scharokius d. offic. sec. Jus Nat. cap. 3. de innocentia ad innocentes extendenda p. 157. Positâ vero lege naturali prohibente, ponitur obligatio in conscientia, ad illa delicta fugienda Selden. lib. 1. d. I. Nat. & G. cap. 4. pag. 48. Unde bene Theo-

ne Theologi interdum obligationem Jctis Cæsareis naturalem dictam, eandem cum nudo conscientiaæ nexu, seu eo quo ad jus Numinis implendum tenemur, faciunt. Less. *d. Inst. & I. lib. 2. cap. 19. dub. 3.* Vid. Franc. Suarez. *de Leg. lib. 2. cap. 9. n. 6.* Quemadmodum etiam Philosophi veteres τὸ σὺνείδός αὐτὸ conscientiam ipsam, pro naturalis officii ad quod quis obligatur mensurâ, sumunt. Ut videre est in præstantissimo illo ad carmina Pythagorica Hieroclis Commentario. Et nisi obligationis Naturalis interpretatio hujusmodi admittenda fuerit, quorsum ceddò de æquitatis vinculo, ut de eo quo solo sustinetur obligatio Naturalis, loquitur Papinian. *l. 95. §. 4. ff. d. solut. & liberat.* Qualem in-jure vinculum ejusmodi; (quod & conventionis æquitate, ut ait ille, quandoque pariter dissolvitur) fingi potest, nisi juris alicujus, sive humani, sive divini, coercionem seu pœnam, aliunde inservientem & violationi debitam, velis itidem substitui? Neque sane aliter voluere veteres illi; Etenim non solum in Christianismo, Judaismo, & Mahumedismo, verum etiam in Theologia ac Jure Græcorum & Romanorum veterum (apud quos scilicet viguit illud de obligatione Naturali) aliarumque fere Gentium, seu in Paganismo, & Numen esse sive unicum, sive plura, & Numinis vindictam, officii jurisque necessario seu ex vinculo & obligatione observandi violationem consequi, id est, Deum esse & remuneratorem credebatur. vid. Grot. *d. I. B. l. 2. c. 20. n. 45. & d. ver. Relig. Christ. l. 1. n. 19. 20.* Tacit. *annal. 6. Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterunt: Neq̄ frustra præstantissimus sapientia firmare solitus est, si recludamus Tyrannorum mentes posse affici laniatus & ictus, quomodo ut corpora verberibus, ita Sevitia, Libidine, malis consultis animus dilaceretur.* Plato est is, quem hic indicat Tacitus, qui de Republica nono de Tyranno. Grot. *d. Ver. Rel. Chr. lib. 1. cap. 24. in not. p. 124.* Pythagoras; *Vir Iniquus plus mali patitur affectus conscientia, quam ille qui in corpore castigatur & flagris ceditur.* Stobæus *cap. 22. Juvenalis.*

*Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi
Displicet Auctori, prima est hæc ultio, quod se
Iudice, nemo nocens absolvitur, improba quamvis
Gratia, fallacis Prætoris vicerit urnam.*

Et ad finem fere

- - - - *Cur tamen hos tu*

C 3

Evassse

*Evassisse putas, quos diri conscia facti
 Mens, habet attonitos, & surdo verberare cadit.
 Occultum quatiente animo tortore flagellum,
 Poena autem vehemens, ac multo saevior illis,
 Quas & Ceditius Gravis invenit & Rhadamantus;
 Nocte dieque suum gestare in pectore testem,
 Perpetua anxietas, nec, mense tempore cessat.
 Faucibus ut morbo siccis, interque molares
 Difficili crescente cibo, sed vina misellus
 Expuit - - -*

VI. Res quæ in furtivam causam cadunt sunt res mobiles. Veteres quidem aliqui existimaverunt, etiam immobilium veluti fundi locive fieri furtum: nominatim Sabinus teste Gellio *11. C. 18. Quorum sententia stabili §. 2. verb. Quod autem ad eas res, in fine Inst. de Usucap. l. 25. ff. d. furt.* Licet Guil. Grot. *de princ. Iur. Nat. Cap. 13. n. 5.* existimet, si magis ad rem ipsam, quam ad conceptionem Verborum respiciamus, tam eos, qui res immobiles intervertunt, quam qui mobiles auferunt, sub hoc Capite comprehendendi, cum nulla quoad peccati reatum inter eos sit differentia. Sic etiam Ordinat. III. ordinum provinciæ Ultrajectinæ, contra eos colonos, qui terminos agri conducti obscuraverint, est poena constituta, ut primâ vice damnentur ad æstimationem ejus portionis, quam finibus obscuratis intercipere annisi sunt. Iterum convicti præter æstimationem exilio perpetuo mulcentur. Quod si mutatis finibus agrum vel partem agri majorem quinque pedum spatio abstulerint, quod fieri solet, cum agri non limitati, non mensi locantur, tum pro qualitate admisi (restituta Sabini sententia, qui existimabat etiam fundi furtum fieri) tanquam fures agri terræve gladio puniantur. Ant. Matth. *d. Crim. p. 264.* Sub mobilibus comprehenduntur etiam res se moventes, ut jumenta, pecora, si dolo malo ex pascuis abacta sint, committatur Crimen abigeatus *l. 5. §. 2. ff. d. re milit. l. 2. ff. d. abig. l. ult. §. 1. ff. eod.* Ubi Cujacius contendit legendum *lenius non plenius* cum Autoribus Græcis; Cui tamen quo minus assentiamur, Latini Codices inprimis Valentinus, faciunt, in quibus constanter scriptum est *plenius non lenius.* Et testatur Ruff. *in Collat. leg. Mosaic. & Rom. tit. d. Abig.* non solum illos abigeos esse qui à pascuis abigunt, sed & qui è stabulo.

stabulo. Ant. Matth. d. Crim. p. 233. Vid. Carpz. *pract. Crim. part. 2. qu. 86. a num. 26. usque ad finem.* Nec tantum pecora, sed & liberi homines & servi alieni dolo malo auferri possunt & plagiarii sunt, qui dolose homines alienos supprimunt: Ipsumque plagium nihil aliud est, quam fraudulenta suppressio liberi hominis vel servi alieni. *l. 1. 3. 4. 5. 6. §. ult. ff. ad leg. Fab. d. plag. l. 1. 2. §. 9. C. eod.* Ant. Matth. d. Crim. pag. 650. Notabilis est historia in Friderici II. Electoris Saxonici alias Placidi dicti, duobus filiis Ernesto & Alberto, quos ex arce Aldenburgensi Cuncti à Rauffungen Nob. Misnicus, Anno Domini 1468. ex cubiculo noctu furatus est. Seb. Munst. 3. *Cosmogr. 426. Dresser. Millen. 6. part. 2. p. 428. Calvis. Chronol. fol. 796.* Hi plagiarii ex constitutione Diocletiani, nec non Constantini ultimo supplicio adficiuntur. *l. 7. §. ult. C. ad leg. Fab. d. plag.* Quæ Constitutio est laudanda, quia Juri divino est consentanea. *Deut. 24. vers. 7. Exod. 21. vers. 16.* Ant. Matth. d. Crim. pag. 654. & seqq. Nec interest cujus pretii sit res ablata, etiam minimarum furtum fit, sufficiente affectu furandi, qui in parvis æque atque in magnis rebus deprehenditur. *§. 10. Inst. d. rerum Divis. l. 14. §. ult. l. 26. l. 27. l. 37. ff. d. furt. Nov. 69. Cap. 1.* quod recte notavit Poeta his versibus:

*Nam de mille fava modis cum surripis unum
Damnum est, non facinus, mihi pacto lenius isto.*

Estque in hac materia fere perpetuum, ut is qui in modica re peccat, eodem facturus in majori, si quando se offerat occasio Guil. Grot. d. *prin. Jur. Nat. cap. 13. n. 7.* Sic etiam si qui arbores furti & lucri causa castas contrectant, furtum committunt. *l. 1. ff. d. arb. furt. cas. Const. Crim. Art. 168.* ob quod crimen quendam rusticum alligata super caput ipsius una ex furtim cæsis arboribus, virgis cæsum Hagæ Comitum ex Judicio Scabinorum refert Simon à Gronewegen *de legib. abrogat. d. t. ff. Arb. furt. cas.* Carpz. *pract. Crim. part. 2. qu. 83.* Ut & illi qui herbas coronarias, vel odoriferas & medicinales puta Rosmarinum, Cariophillum, Amaracum, Rosas, Lilia & ejusmodi similes flores seu frutices ex aliorum hortis auferunt, furti tenentur, & ex arbitrio judicis vel in ære, vel carcere, vel pro ratione delicti relegatione puniuntur. Carpz. d. *qu. 83.* Nec non qui arborum vel agrorum fructus, frumenta, pisa, poma, pyra, cerasa, uvas, nuces, & similes fructus ex aliorum hortis vel agris furti & lucri causa abstulit, furti tenentur. Carpz. d. *l. n. 33. & seqq. Ordinat. Crim. Art. 167.*

Tabor

Tabor *in Racem. Crim. ad Art. 167. pag. 553. & seqq.* Et quamvis Jur. Nat. & Gent. cuius liberum sit feras, pisces, aves capere & capiendo acquirere, potest tamen qui imperium habet in terras, & aquas ejus lege impediri, ne cuius liceat Grot. *d. I. B. lib. 2. Cap. 2. n. 5. & lib. 2. Cap. 8. n. 5.* Covarruv. *ad C. peccatum part. 2. § 8.* Et qui contra illam legem prohibentem feras vel pisces capiunt recte puniuntur. *Const. Carol. art. 168. 169. Carpl. pract. Crim. part. 2. qu. 84.* Denique furtum fieri intelligitur, non tantum si quis rem alienam clam Domino amoveat, ipsius rei intervertendæ causa, verum etiam si quis solius rei usus, vel possessionis in lucrum suum transferendi gratia: Indeque non amovendo tantum sed & aliter contrectando furtum committitur nempe si quis ea re, quam voluntate Domini apud se habet, non ex voluntate Domini utatur. *Gell. lib. 11. C. 18.* ut si Depositarius re depositâ, Creditor re pignoratâ utantur, cum concessum non esset; Si Commodatarius aliter re commodata utatur quam ex lege contractus licet. *§. 6. Inst. d. furt. l. 40. l. 54. ff. eod.* Imo & eum, qui quid utendum accepit, si id, alii commodaverit furti obligari traditum est, nec quem movere debere, quasi hic nihil lucri sui causa faciat, speciem enim lucri esse ex alieno largiti & beneficium sibi debitorem acquirere, unde eum quoque furti teneri, qui ideo rem amovet, ut alii donet. *d. l. 54. §. 1. ff. d. furt. Vin. ad §. 6. 7. Inst. eod.* Rei quidem nostræ propriè furtum non fit. *Paul. 2. sentent. 21. Arist. 5. Eth. ult.* Debitor tamen minus propriè dicitur furtum committere, non tantum cum possidenti sive tenenti Creditori rem pignoratam aufert *l. 12. §. 2. l. 19. §. pen. l. 79. 87. ff. d. furt.* Thabor *in Racemat: Crim. pag. 270.* Verum etiam si eo tempore abstulerit, quo non possidebat, ut, si rem pignoratam vendidit. *d. l. 19. §. ult. l. 66. in princ. eod. l. 6. C. pro empto.* Rectè tradit Bonifacius *d. Furtis §. notabiles n. 21.* Si quis in suis Columbariis enutriat columbas eas salvâ conscientia ab alio surripi aut occidi non posse, nec dolo malo ad alienum Columbarium fucatis etculentis trahi, sed hoc ipso furtum committi. Est igitur error Vulgi, captas Columbas vel *λύτρω* aliquo esse redimendas, vel licitè retineri posse; nisi fortè ut quibusdam locis obtinet, Columbaria Statuto prohibeantur. *Dn. Han. ad Wesemb. Tir. d. Furt. n. 1.* Sic etiam jure Talmudico est vetitum & furtum committi constitutum, si quis Columbas volare doceret in certamen, ut evolando comitatiores domum redirent, aliisque Colum-

Columbis dominos distarent: Moses Micotzi. *Præcept. aff. 73.* Moses Majm: Halach. Gazila Waibda. *Cap. 6.* Inde etiam est, quod de rebus laqueisve Columbis non Capiendis adjiciunt. vid. Constant. L'Empereur *d. legibus Forens. Ebraeor. Tit. Baba Kamma. Cap. 7. pag. 183.* Joh. Selden. *d. J. N. G. Lib. 6. Cap. 11.* Illa quæstio, licet vulgaris, tamen difficilis est: Si quis ex acervo frumenti, modium, vel ex armario, cellâ, apothecâ, involucto, res aliquas abstulerit, utrum totius fur sit? an ejus tantum quod abstulit. De quâ quæstione Ulpianus & Paulus in *l. 21. § 22. ff. d. Furt.* ita perplexe disserunt, ut exclamare cum Poetâ possis. *Quo teneam vultus mutantem Protea modo?* uti notat Anton. Matth. *d. Crim. p. 65.* Cujus quæstionis decisio in genere sumenda est, non à solâ voluntate, sed à facultate & potentiâ agentis; quod principium & alibi in *l. 6. C. si quis alteri vel sibi,* & in hac quæstione indigitatur. *d. l. 21. pr. § 8.* videndum itaque an fur totum auferre potuerit ejus rei cujus partem tulit, nec ne; illo casu qui partem tulit, etiam de toto teneatur actione furti, non conditione. *d. l. 21. §. ult. l. 22. §. 2. ff. d. t. r.* Hoc vero casu, de totâ re non tenebitur, cum fictioni veritas & conditio rei repugnet. *d. l. 21. §. 5. § 8.* Quæ cum ita generaliter essent definita, & Senatus temporibus Claudii, imprimis naufragis consulere voluisset, spectatim dicendum fuit, ut qui ex naufragio clavos, vel unum ex his abstulerit, omnium rerum nomine teneatur. *l. 3. §. 8. ff. d. Incend. Ruin. Naufr. Dn. Tabor. Crim. 2. §. 39. § seqq.*

VII. Nunc progrediamur ad ampliationes & casus, qui ex mente legis hac prohibitionem & interdicto furti virtualiter continentur. Non solum contra hanc legem Decalogi peccat, qui res alienas invito & inscio Domino aufert; sed quicumque alterius bona, per fraudes, circumventiones, & factas datâ operâ in judiciis moras, injustos contractus, illicitas usuras & oppignorationes, ad se transfert. Deinde cum teneamur egentibus subvenire, furti etiam quædam species & contra VII. præceptum est, immisericordem se præbere adversus afflictum proximum, aut eleemosynam indigendi denegare. In contractibus ut recte docet Grot. *lib. 2. d. J. B. & P. cap. 12. n. 8. 9.* natura æqualitatem imperat, & ita quidem, ut ex inæqualitate jus oriatur minus habenti. Hæc æqualitas partim consistit in actibus, partim in eo de quo agitur; & in actibus, tum præcedaneis, tum principalibus. At præcedaneos actus

D

pertinet,

pertinet, quod is qui cum aliquo contrahit, vitia rei de quâ agitur sibi nota, significare debet, quod non civilibus tantum legibus constitui solet, sed natura quoque congruit: Nam inter contrahentes propior quædam est societas, quam quæ communis est hominum. Atque hoc modo solvitur quod dicebat Diogenes Babylonius, hoc tractans argumentum; nec celari omnia quæ tacentur; nec quicquid tibi audire utile est, idem mihi dicere necessum esse, ut de rebus cœlestibus. Nam contractus natura, utilitatis causa reperta, propius quiddam exigit. Ambros. *d. offic. 2. c. 10.* Div. Thom. *2. 2. qu. 77. art. 3.* Cic. *d. offic. lib. 3.* Sic inquit: *Ac de jure quidem prædiorum sancitum est apud nos jure Civili, ut in his vendendis vitia dicerentur, quæ nota essent venditori, nam cum ex XII. tabulis satis esset ea præstari, quæ essent linguâ nuncupata, quæ qui inficiatus esset, dupli pœnam subiret, a Jctis etiam reticentiæ pœna est constituta. Quicquid enim esset in prædio vitii, id censuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, præstari oportere: &c.* Et paulo post: *cum in vendendo rem eam scisset, & non pronuntiasset, emtori damnum hoc præstari oportere. Igitur ad fidem bonam statuit, pertinere, notum esse emtori vitium, quod nosset venditor.* Ex his liquet, quomodo in illis capitibus, honesto repugnans $\pi\lambda\sigma\upsilon\epsilon\zeta\iota\alpha$, & huic subservientes variæ fraudes, Juris Civilis prudentiâ, repressæ fuerint. *l. 1. §. 1. ff. d. act. emt. & vend. l. 13. in pr. l. 39. 41. eod. l. 15. §. 1. l. 43. §. ult. l. 45. ff. d. contrab. emt.* ex hac causa prodita fuit actio ædilitia, redhibitoria, in hoc dicta, ut venditor quod vendidit propter vitium ejus aut morborum recipiat. Causa hujus edicti proponendi est, ut loquitur Jctus *in l. 1. §. 2. ff. d. edil. edicto.* Ut occurratur fallaciis Vendentium, & emtoribus succurratur, quicumque decepti à creditoribus fuerint. Vitia rei vel sunt evidentiâ & manifesta, ut nemini non paululum diligenti pateant, vel sunt tam occulta, ut fallant etiam prudentissimos, vel sunt mediæ conditionis, ut à prudentioribus facile, at inertibus & imperitis difficile cognoscantur. Prius quod attinet, non decipitur emtor, ubi judicium à venditore ipsi in re omnino manifesta est relictum. *l. fin. ff. d. act. emt. l. 15. §. 1. ff. d. contrab. emt.* Paul. Zachias *in quest. medic. legat. lib. 2. tit. 3. quest. 4. & seqq.* Joh. Willh. Rovenstrunck. *in tract. d. redhib. Jud. Equester.* Alterum, si vitia occulta reticeantur omnino à venditore, emtor turpiter circumvenitur. Postremum ita est comparatum, utilla

ut illa imperitia forsan non potuerit facile evitari. e. g. si rusticus rem artificialem emat, vel potuit evitari & debuit, adeoque sua socordia ei obstitit, huic forte jus civile non subveniet, nec facile & isti: Jure vero naturæ uterque videtur turpiter, vel saltem non honeste deceptus esse, siquidem vitia rei non fuerint manifesta prorsus. Dn. Rachel. in not. ad lib. Cicer. d. offic. pag. 473. & 503. 531. Jure naturali, si emtor roget venditorem, an res sit bona? an careat vitio? quod venditor ex justitia teneatur aperire rei vitia, quia tenetur ex officio explicare conditionem rei suæ, quam vendendam exponit, præsertim si rogetur ab emtore, alias maximæ fraudes contingerent, quæ non possent ab emtoribus vitari: si igitur venditor affirmat rem carere vitio, eamque laudet, cum tamen occultum vitium habeat, injuriam facit emtori: Quod si emtor suo judicio fidens rem aliquam ex multis deligat nihil interrogans præterquam de pretio, contra legem justitiæ non peccat venditor, etiamsi occultum vitium non aperiat, modo non vendat supra justum pretium, sed detrahat de pretio pro ratione vitii. Div. Thom. 2. 2. qu. 77. art. 3. Quia hic nullam facit injuriam in ipsa conventionem, nam vendit rem justo pretio, nec per injuriam emtorem allicit ad contrahendum, nec fraus est causa compellens ut emtor emat. Ubi vero nec in ipso contractu committitur injustitia, nec in modo alliciendi ad contractum, ibi absolute nulla est injustitia. Leonh. Less. d. Just. & 7. lib. 2. cap. 21. dub. 11. Et hæc ita se habent si quæstio est de vitiis quæ rei inhærent. At non idem dicendum de his, quæ rem non contingunt, ut si quis sciat multas naves in cursu esse, quæ frumentum advehant, tale enim quid indicare est quidem officiosum ac laudabile sæpe, adeo ut omitti nequeat, nisi ut charitatis regula violetur, non tamen est injustum, id est non pugnans cum jure ejus, quo cum negotium est. Si civitas quædam obsidione prematur: Si omnes cives fame ægerrime colluctentur: Si desperata salute se præcipitare velint: Aut se miserrima conditione dedere: Hic quid officium, humanitas, aut lex charitatis præcipiat facile apparet. Sed si quæstio moveatur. An frumentarius, si sciat majorem jam copiam subvectum iri, ut minor indigentia, ac per consequens minus frugum pretium sit futurum, fruges maximi possit vendere? Si circa hanc quæstionem jure positivo sit aliquid constitutum, illud suo loco vim obligandi habebit. De jure naturali quid liceat videbimus. Et scito, si ex Aristot. lib.

Rot. lib. 5. Erb. ad Nicom. cap. 5. §. 27. hujus decisionem petamus, quod indigentia rerum rebus vendendis pretium statuatur. Licet itaque venditor sciat futuram pretii remissionem, emptorque nesciat, potest nihilominus absque iniustitiâ, vendere pretio corrente D. Thom. 22. qu. 77. Art. 3. ad 4. & ibidem Cajetan. Covarruv. ad C. peccatum p. 2. §. 4. §. 0. Dn. Boeckler. disserti. 2. de Mensura pretii. Potest enim res vendi juxta communem æstimationem, nec privata scientia venditoris communem sensum & æstimationem mutat, sicut nec privata scientia emptoris, illam mutat, alias emptor non posset emere pretio corrente, si sciret pretium valdè augendum, quod repugnat exemplo Josephi Gen. 41. vers. 48. & seqq. Qui sciens postea fore maximam caritatem, omne frumentum Ægypti, pretio corrente comparabat; Vid. Less. d. Just. & Jure lib. 2. C. 21. dub. 5. Grot. d. J. B. lib. 2. C. 12. n. 17. Jam vero sæpè maxima est indigentia, præcipuè earum rerum, quæ ad necessariam conservationem hominum in civili societate viventium requiruntur. Huic indigentia, multi homines majori periculo, sumptu, labore, succurrunt, quam mercatores. Si itaque pro natuta amicitia utilis, qualis est inter emptorem, & venditorem, lucri rationem habeant, & pretii, ut illud indigentia definiaverit, nihil iniusti contra jus naturale videntur facere. Hinc Pomponius in l. 16. §. ult. ff. d. Minor. ait, in pretio emptionis & venditionis, naturaliter licere contrahentibus se circumvenire. Hæc enim circumscriptio non est dolus, sed prudentia & industria quædam œconomica, res familiares augendi, quæ non vituperanda videtur. Grot. d. I. B. lib. 2. C. 12. n. 26. τὸ naturaliter in d. l. explicat pro eo, non quod fas est, sed quod recepti moris est, quo modo apud Apostolum Paulum, ipsa natura docere dicitur, viro turpe esse comam alere, cum tamen id non repugnet naturæ, & multos apud populos usitatum sit. Quæ explicatio per omnia non videtur approbanda: Harmenopolus hoc vertit κατὰ φύσιν, & videtur ita intellexisse, licite hoc fieri posse, siquidem dolus absit, ut nihil juri naturali detrahatur. Hæc licentia lege civili positivâ aliquo modo restringi & temperari potest, quemadmodum in Republ. Rom. fecit Dioclet: cum suo Collega per l. 2. C. de rescind. vend. Atque hoc est, quod Aristoteles lib. 5. Nicom. 4. §. 35. dicit: Emptionem venditionem, ejusque generis contractus alios, ejus esse conditionis, in quibus εἰς τὴν ἐπιβολὴν ὁ νόμος, in quibus per legem licet impune rebus suis consule-

consulere, lucrumque facere; cum quo consentit Jctus in l. 22. §. 3. ff. loc. cond. Et nisi hoc quadantenus licitum esset J. Naturali & Civili, quomodo plurimorum hominum salutis, & necessitatibus subveniretur, qui vel in disitis locis, aut infrugiferis Insulis, aut asperis montibus habitant, qui bello aut fame premuntur, aut alia calamitate opem aliorum hominum anhelant? Nonne etiam æstimari debet periculum naufragii, & si urbs obsidione clausa sit, nonne periculum confiscationis? quandoquidem Jure belli commeatus, & ejus quæ vis alia, advehere hostibus non licet. Qui incendio in urbe quadam coorto primus appropinquavit cum aqua, magnum lucrum accipit; Nec indignum creditur, etiamsi reliqui post illum accurrentes nihil consequantur. Qui igitur aliorum necessitatibus præ aliis succurrit, non erit turpe & injustum, si ipse plusculum aliquid lucretur, quam alii. Eandem rationem secutum Jus civile Rom. Pœnus nauticum, pro pecunia trajectitia, excedere alias sortis usuras permittens. l. 5. ff. d. naut. fœn. Frid. Stypm. de Jur. Marit. part. 4. C. 2. Quid, quod sæpè mercator, dum alios juvare studet, lucrispè, maximam sæpè hinc jacturam faciat, quod exigua indigentia, & quod inde aptum est pretium exiguum rerum adventarum, percipiatur: Nonne igitur licitè alia vice rei suæ consulere, damnumque refarcire poterit, ut qui impiger ad extremos Indos currat, per mare pauperiem fugiens, per saxa per ignes? Hoc nisi concedatur, nemo salvâ conscientia & simul re suâ salvâ, poterit commercia exercere, quibus sublatis dissolvitur ipsa hominum societas, & homo hominis ope & industria, quâ vel maximè indigeret destitueretur. Si igitur absit dolus, fraus, in humana & avara lucrifaciendi cupiditas, non sunt dicendi injusti, fallaces, malitiosi, obscuro, astuti, callidi, veteratores, vafri, versuti, qui uti magna industria, labore, periculo & sumptu aliis subveniunt, ita horum omnium justum pretium in lucro licite ponitur: uti hoc præclare tradit Dn. Rachel. in Nor. Cic. de offic. pag. 478. Si verò fraus & dolus subsit, in foro conscientia ad restitutionem damni tenentur. *Detrahere enim ut ait Cic. lib. 3. off. aliquid alteri & hominem hominis incommodo augere commodum magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas quam dolor, quam cætera qua possunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit convictum humanum & societatem. Si enim sic erimus affecti ut propter suum quisque emolumentum spoliet aut*

violet alterum, dirumpi necesse est, eam que maximè est secundum naturam, humani generis societatem &c. vid. Cic. d. l. Quod vero Cicero ait, magis hoc esse contra naturam, quam est mors, dolor, aut paupertas; non physicè, sed moraliter est intelligendum. Naturaliter enim quisque dolorem fugit, ad quem declinandum, ira homini à natura tributa est, mortem vel maximè, quæ individuum planè destruit, paupertatem quoque fugimus, quæ indigentiam & cum hac dolorem aut interitum adferre possit. Verum eo sensu hoc accipi non vult, sed morali, videlicet debere nos à rapinis & iniquis lucrandi rationibus abhorrere, ut malimus paupertate & dolore maximo adfligi, aut plane mortem obire, quam alteri suum per injuriam subducere. Arist. 3. Nicom. 1. §. 19. Raehel. in Not. Cic. d. offic. pag. 416. Et hanc sententiam, quod deceptio cum fraude conjuncta, infra dimidium justii pretii, Jure naturali & divino sit prohibita, confirmant. D. Thom. 22. qu. 77. Art. 1. Alphonf. de Castro de potest. leg. pæn. lib. 2. C. 10. fallent. 3. Medina de Restit. qu. 72. Sylvester in summ. verb. empt. qu. 8. Soto d. Just. & J. lib. 6. qu. 3. Art. 1. Leon. Lessi. de Just. & J. lib. 2. C. 21. dub. 4. n. 20. 21. Covarruv. lib. 2. Var. Resol. C. 4. n. 11. Felician. d. Censibus lib. 2. C. 1. n. 1. & seqq. Cardinal. Mantic. de tacit. & Ambig. Convent. lib. 4. tit. 20. n. 54. Ex iis quæ diximus facilè collectu est, non generaliter intelligendum illud Ciceronis lib. 3. off. celare esse, cum tu quid scias, id ignorare emolumenti tui causa velis eos, quorum intersit scire, sed id tunc locum habere, cum de iis agitur, quæ rem subjectam per se contingunt, ut si domus sit pestilens, si à magistratu dejici jussa; Quæ exempla refert Cicero d. l. At vitia ei, quo cum agas nota, ut servitutem ædium, quas M. Marius Gratidianus C. Sergio Oratæ vendebat ab ipso prius emptas, dici nihil attinet. l. 1. in fine. ff. de contrab. empt. Scientia enim utrinque par pares facit contrahentes, Horat:

*Ille feret pretium pæne securus, opinor
Prudens emisit vitiosum.*

Quod & notatum Platoni 11. de legibus. Sicut igitur illi venditores sunt vituperandi, qui reticendo vitia occulta rei venditæ contra justitiam peccant, ita multo magis sunt damnandi, qui vanitate orationis id est mendacio merces plus æquo commendarunt, ac emptorem deceperunt. Et quidem quod hunc Venditorem laudantem attinet, siquidem verba rei non consentiant, dolosè alterum circum venire studet, eoque nomine ut fraudu-

fraudulentus & improbus est damnandus, nisi forte imprudentia, lapsus sit, aut alia ratione à dolo liberari queat, ejusmodi exemplum admodum festivum recitat Cicero *lib. 3. de off.* Talis fraus etiam lege civili Romanorum prohibita est. *l. 18. in princ. & l. 19. princ. ff. d. edit. edit.* Vin. in *partit. jur. lib. 2. cap. 15. pag. 252. & l. 4. de oblig. & act.* generaliter est constitutum, bonam fidem in contractibus desiderari æquum esse, quod non ita intelligendum, ac si in omnibus negotiis, eodem modo & gradu, bona fides spectetur. In Contractibus stricti juris, etiam bona fides spectatur, sed secundum communem æquitatis regulam, videlicet, ne dolus approbetur, neve quid juris subtilitas adversus bonam fidem æquitatemque valeat. *l. dolo C. de dolo l. 36. ff. d. V. O.* Bonæ fidei vero conventiones non ex eo nomen acceperunt, quod in his communi quodam respectu consideretur bona fides, & æquitas, sive quod in his non præstetur, quod sit contra bonam fidem, quamvis id forte subtilitate juris præstandum videatur, sed quoniam hic summa desideratur æquitas, res tota ex bona fide & religione judicantis æstimatur per omnia: Guil. Grot. *d. princ. f. N. Cap. 16. n. 8. 9.* Dn. Rachel. in *Not. Cic. de off. lib. 3. pag. 501.* Contractus bonæ fidei, si illis dolus causam dederit, sunt ipso jure nulli. *l. 7. ff. de dolo malo. l. 16. §. 7. ff. d. Minor. l. 3. §. ult. pro socio.* Bach. *d. Action. disp. 6. th. 16. & seqq.* Et *part. 1. ad Tr. pag. 1016.* Vinnius *select. quest. lib. 1. C. 12. & ad Inst. §. 28. Inst. d. Act. & §. 1. Inst. d. Except.* Sequestrata autoritate legum positivarum Rom. inspecto Jure naturali distingui debet inter dolum circa substantiam rei, & eum qui non est circa substantiam: Ex illo contractus ab initio est nullus, quia à substantia omnis conventio dependet, qua negata conventio est nulla: Cajetan. *2. 2. qu. 77. Art. 3.* Ubi vero dolus non est contra substantiam, sed circa accidentia rei, conventio non est ipso jure nulla, sed valet: Et illa distinctio inter contractus bonæ fidei & stricti juris, fluit ex jure positivo, non ex jure naturali. Cardinalis de Lugo *disp. 22. sectione 7.* Covarruv. *ad C. possessor part. 2. §. 6. n. 8.* Præterea non tantum in intellectu rerum, sed & in voluntatis usu, quædam contrahentibus inter se æqualitas debetur, non quidem, ut si quis antecessit metus justè incussus, is demi debeat, id enim in contractu extrinsecum est, sed ne quis incutiatur contrahendi causâ, aut si concussus est, ut dematur. Less. *d. f. & Jur. l. 2. C. 17. dub. 6.* Quod exceptionem habet ex Jure Gentium in belli metu, Grot. *d. f. B. lib. 2. C.*

11. n. 7. C. 11. n. 10. C. 17. n. 17. 19. lib. 3. C. 23. n. 2. & lib. 3. C. 19. n. 4. Qui metu coactus cum aliquo contrahit, jure naturali obligatur, propter consensum, quia voluntas licet coacta, voluntas tamen est. *l. 21. §. pen. ff. quod met. caus.* Nimirum utrum quid voluntarium sit, an involuntarium, ex eo tempore aestimatur, quo geritur; Jam vero illud quod eligitur, quo tempore metus infertur, respectu majoris mali quod vitatur, boni rationem habet; Et ea consideratione objectum est voluntatis, de quo *Arist. 3. Eth. 1. Sot. 4. d. 29. qu. 1. Art. 3.* Richard. *cod. dist. circa. 1. princ. qu. 2. Palud. d. 15. qu. 2. Art. 5.* Si enim illa conventio jure naturali est irrita & nulla; id provenit vel ob defectum Consensus, vel ob injuriam illatam; Non deficit consensus, quia qui metu coactus consentit voluntariè; omnibus enim consideratis vult. B. Horn. *in Philos. Mor. lib. 3. C. 4. de princ. act. human.* Non etiam ratione injuriæ, quia injuria non est immediata causa contractus, sed consensus contrahentis. Less. *d. Iust. & I. lib. 2. C. 17. dub. 6. & dub. 5. n. 29. & 31.* Illa tamen obligatio ex tali conventionione profluens, potest infringi & labefactari remedio Juris civilis. *tot. tit. ff. & C. quod. metus causa.* Guil. Grot. *de princ. I. N. C. 15. n. 8.* Vin. *in part. I. C. lib. 2. C. 53. & §. 1. Inst. d. empt.* Quod juri Naturali non est adversum, sed potius conveniens, quia enim coactus voluit, mero jure subsistit contractus *l. 36. ff. d. V. O. l. 5. C. de inutil. Strip. l. ult. C. quod metus causa.* Quia tamen malo more metu illato libera planè contrahendi voluntas constringitur, ideo Prætor apud Romanos restitutionem in integrum suis edictis dedit, Dn. Rachel. *in Not. Cic. d. off. lib. 1. p. 88.*

VIII. Ille sine dubio injustè agit, si quis sciens rem vendat, cui non est justum pondus, aut numerus, aut mensura, eo pretio, quo venderetur, si justum pondus aut mensuram haberet; D. Thom. *22. qu. 77. Art. 23.* quia in tali contractu est inæqualitas. Sic peccant frumentarii, si tritico miscens secale, aliave semina, vel quisquilias, sicut illi, qui Amos 8. v. 6. dicunt, quisquilias frumenti vendidimus. Item qui fericum tincturâ mangonica multo faciunt ponderosius, & tamen non multo minoris vendunt quam si fucatum non esset. Denique omnes contra justitiam peccant qui mensuras adhibent dolosas contra illud. *Prov. 11.* Statera dolosa abominatio est apud Deum. Pari modo iniquum est emere rem vitio carentem pro vitiosa, & pretiosam pro vili, ut gemmam pro vitro licet, venditor ob ignorantiam eam non pluris indicat, quia

quia æqualitas non servatur, nec enim venditor intendit rem donare, qua parte excedit, sed totam uti est vendere & justo pretio commutare: Si tamen in aliqua provincia res illa passim vilis æstimaretur, ideo quod ignorent eam alibi magnifera, possit ibi parvo pretio emi. Sicuti apud Indos licitum erat, aurum aliasque res pretiosissimas commutari pro speculis, tintinnabulis, cultellis, & similibus crepundiis. Item si aliqua geminæ pretiosissimæ in aliquo oppido à gemmariis illius loci parvi æstimarentur, posset alius qui illarum præstantiam nosset, eas parvo & vilis pretio emere, quia non censentur pluris valere. Denique fascis herbarum, qui venditur ad pabulum animalium, potest emi pretio quo talia vulgo vendi solent, etiamsi emptor sciat ibi pretiosas quasdam herbas contineri, quia tota illa res ad eum usum quo vendi solet, non pluris æstimatur. Quæsitum meminit H. Grot. *d. J. B. & P. Lib. 2. cap. 2. n. 24.* An populo alicui liceat cum alio populo pacisci, ut is populus certi generis fructus, qui alibi non nascuntur, sibi soli vendat? Et censet licere, si is qui emit populus paratus sit aliis vendere æquo pretio: Nam aliarum gentium non interest à quo emant, quod ad desideria naturæ attinet. Lucrum autem alter alteri prævertere licitè potest, maximè si causa subsit, ut, si qui id stipulatus est populus, alterum populum in suam tutelam receperit, sumptusque eo nomine faciendos habeat. Talis autem coemptio, eo animo facta, Juri naturæ non repugnat. Et rectè idem H. Grot. *d. I. B. & P. Lib. 2. cap. 12. n. 16.* tradit, quod non omnia monopola cum Jure naturæ pugnent, cum possint interdum à summa potestate justa de causa, & pretio constituto permitti: Quod comprobatur Historia Josephi, cum is vice Regia Ægypto præesset. vid. Navarr. *C. 23. n. 92.* Et Alexandrinorum, qui sub Romanis Indicarum & Æthiopicarum mercium ut Strabo loquitur *Lib. 17.* habebant *μονοπωλείαν.* Qui vero de compacto id agunt, ut res supra pretium id, quod summum nunc est, in communi pretio vendatur, aut vi, aut fraude impediunt, ne major copia importetur, aut ideo merces coemunt, ut vendant pretio, quod tempore venditionis iniquum sit, injuriam faciunt, atque eam reparare tenentur. Less. *d. Just. & J. Lib. 2. Cap. 21. d. 21. n. 14.* Ludovic. Molin. *de Just. & Jur. disp. 345.* Salas *de Contract. cap. d. Emion. dub. 38.* Si alio modo impediunt invectionem mercium, aut ideo coemant, ut pluris vendant, pretio tamen pro temporis ratione non iniquo, faciunt quidem on-

E

deme on-

dem contra normam charitatis. Ambros. *Lib. offic. 3. cap. 6.* propriè tamen jus alterius non violant. Less. *d. dub. 21. n. 151.* Grot. *in Flor. Spars. ad jus Justin. in l. un. C. d. Monopol.* statuit, Monopolia esse duorum generum; Alia rerum necessariorum vitæ, quæ merito sunt odiosa. Apollonius Aspendiorum Dardanariis ita scripsit: *Terra omnium mater; Est enim justa, vos autem in justis, vestrum solum matrem eam fecistis.* Contra id genus multa extant dicta Patrum, ut Chrysostomi. *1. Cor. 15. 2. Cor. 8. in Moral. post. 13.* Alterum genus est earum rerum, quæ voluntati magis serviunt, ut erinaceorum & Indicarum mercium, de quibus Grot. *Lib. 2. d. I. B. & P. d. l.* De Monopoliis extat novissima Constitutio Zenonis *in l. un. C. de Monopol.* Nec minus imperii Constitutionibus Monopolia sunt prohibita. Reformation guter Policey zu Regenspurg Anno 1548. Cap. 18. Die Monopolia, und schädliche Vorkauff belangend. Cujus hæc est summa, Monopolia hisque similia pacta, in toto imperio irrita, injusta & reprobra sunt. Ea qui inierint, eorum bona meri imperii Dominis confiscantur; ipsis nulla usquam securitate cavetur. Hanc legem Magistratus sub bonorum amissione rigide exercent. Negligentes Fiscalis Camera officii admoneto, usque intra mensem non parentibus, eos, qui deliquerunt, ipse jure judicioque persequitur, in Camera conventionis nullæ exceptiones dilatoriæ, declinatoriæ, vel avocationes competunt, remissio nulla indulgetur. Ipsi etiam Magistratus Monopolia exercentium conniventes ac pœnam differentes, instantè Fiscali Camera Centum Marcis, auri multentur. Judices bonorum adeptorum quadrantem, ope Magistratus vel Camerae capiunt; Si focii criminis fuerint, impunitate contenti sunt. Petrus Dean. *in Iur. Cam. Tit. 194.* Horum enim omnium idem est finis ac scopus, minus enim uberem annonam expectant, ut ex ea caritate lucrum faciant, annonam attentent, vexent, onerent, vastent, flagellent, incendant, ex candefaciant. Vid. And. Dinneri. *Comment. de Iusto rerum pretio definiendo quest. 3. pag. 26.* Ant. Matthæi *de Crim. pag. 288.* Philip. Knipschild. *d. Iur. & Privil. civitat. imperial. lib. 5. c. 2. n. 38. & seqq.*

IX. Sed quid dicendum de bonis, aleâ seu certamine aliquo ludicero acquisitis? Ajunt Majmon. Halach. Gazila Waibda *Cap. 6.* Moses Mikotzi *præcept. affirm. 73.* *Sunt res non Pauca, quas Vetere sapientes nomine furii: Et qui interdictum illorum in eis violaret, fur erat.* Eleganter Joh.

et Joh. Selden. d. I. N. G. *juxta discipl. Ebraor. Lib. 6. Cap. 11.* Cujus verba hic subjungimus: *Ajunt eum qui alicui, talis, id genus alius, lucri quid sibi fecisset, reum fuisse גור מוכריוס* furti seu rapina, qua quidem non ex lege sacra, seu civili suo, Numine ipsis praestituto, nedum ex Jure Naturali, sed ex scitis Majorum, seu qui rebus cum imperio ac potestate Juris superinducendi praerant, sic dicenda. Scilicet ramesi certaminibus ejusmodi non deerat tam victi, quam victoris assensus praevius, adeoque invicem contractus interveniebat, unde, quantum ad jus, sive Naturale, sive eorum in corpore Mosaico Civile spectat, ex victoria licite, ut, in alienationibus, cessionibusque Juris Naturalis permittivi aliis, lucrum acquirebatur; ita nihilominus certaminum ludicrorum mos ille displicite eorum majoribus (qui rebus praesent, & quorum suffragiis & consensu involuta sunt totius populi, juxta modum & rationem illius Reipublicae, adeoque Ebraorum omnium, qui certarent pariter, suffragia & consensus) ut ex victoria ejusmodi ludicra nihil postmodum acquirere fas esset, furtumque ab acquirente committeretur. Nam ex dominii, obligationisque temperamento civili sic adjecto, id furtum fiebat, quod citra ejusmodi temperamentum omnino licitum. Binas autem ob rationes hoc superinductum. Tum ut doli mali, quo certamina ejusmodi minime carere solent, ansa praeiperetur, tum ut artibus bonis, & qua Societati humane conducibiliore essent, non ludicris homines se exercerent. Lusius itaque seposita autoritate legum positivarum, Jure Naturali non est prohibitus, sicuti enim in potestate cujusque est, rem suam alteri donare absolute, ita etiam transferre in alterum sub aliqua conditione, sive illa sit casualis, sive Potestativa. Ludov. Molin. d. Iust. & I. Disp. 510. Tb. 2. n. 3. Leonh. Less. d. Iust. & I. Lib. 2. Cap. 26. dub. 1. Si modo ludentes liberam habeant dispositionem rei, nec alter alterum per injuriam ad lulum pertraxerit, tunc enim ille, qui ita alterum coegit, est causa damni per injuriam, ac proinde tenetur ad restitutionem, Cajetan. 2. 2. qu. 32. Art. 7. ad. 2. Didac. Covar. Tom. 1. part. 2. C. peccatum. p. 2. §. 4. num. 7. Sotus Lib. 4. qu. 5. Art. 2. Ob nimium tamen abusum, & alias rationes civiles, ludus recte inhihetur, vel certis limitibus circumscribitur. Reipublicae enim interest, ne quis re sua male utatur, & vero per ejusmodi conventiones, & ludos facile quis bonis potest everti, aut ad alia mala impelli. Penes Magistratum est, talia mala permittere, vel admittere, vel

faltem pretia eorum, quæ deponuntur, certis terminis circumscribere, Puffend. *Element. Jurispr. Lib. 1. def. 12.* uti factum legibus Roman. 59. *l. 2. C. de Aleat. Less. d. C. 26. dub. 2.* Bechman. *ad ff. tit. d. Aleat. Certè & alea atque id genus ludi interdiciuntur, nec semel, in Mahumedis Alcorano Selden. d. J. N. & G. lib. 6. cap. 11.* Optandum sanè foret, hodieque ædiles esse, qui udos homines è popinis rapiant, ac nec Saturnalibus optimo dierum aleæ frena laxent, gignit enim, ut Horatii verbis utar. Ludus trepidum Certamen, & iram, ira truces, inimicitias, & funebre bellum. Quæ ibi cupiditas fallendi! Quanta temporis jactura! Quot perjuria & blasphemix; quæ denique bonorum morum Corruptela, ut merito vitia urbis enumerans Marcell. *lib. 28.* non infimo loco aleam collocaverit, cui nobiles æque atque plebejos deditos fuisse creditur. Decoctis enim bonis, quid aliud sperandum à perditis civibus, quam flagitatio legis agrariæ, & novarum tabularum, & alia hujusmodi quibus ad extremum respublica pessundatur. Sed hæc nos quoque in casum, quemadmodum ille, Vid. Anthon. Matthæi *d. Crimin. pag. 292.* hodiè enim pecunia, in ludo perditæ & soluta, non potest repeti, sed conditio cessat Carpz. *lib. 6. Resp. 86.* Christin. *in Decis. 9. Vol. 2. Belg. 2. dec. 200. n. 1.* Simon à Chronèvegen *d. LL. abrogat. ff. d. Aleat.* præsertim cum utrinque turpitudine versetur, quæ tamen consuetudo limitanda, sc: 1. nisi alter per fraudem vicerit Struv. *ad Tit. ff. Aleat. Th. 59. 2.* quando non pecunia, sed vestes in solutum sunt datæ. 3. Quando quis in magnum familiæ suæ dispendium ingentem pecuniæ summam profudit. Quo casu meminit Dn. Brunnem. *ad Tit. ff. d. Aleat. l. 1. n. 10.* restitutionem Civi alicui per sententiam injunctam fuisse, his limitationes refert Gronèvegen *d. l. & Christin. d. l.* vid. Carpz. *resp. 69. n. 1. 4.* qui addit, collusor alium coegerit. Sponsiones si fiant de re honesta, & non prohibita, non sunt illicitæ, ut responderunt Jcti Helmstadienses Anno 1611. Dn. Hahnus *ad Wesenb. Tit. d. Aleat. & Jcti Lipsiensis A. 1631.* Carpz. *pract. Crim. qu. 134. n. 32.* Covar. *ad cap. peccatum d. R. l. in 6. part. 2. §. 4.* Bechman. *ad ff. tit. d. Aleat. p. 421.* Brunneinan. *ad l. 3. ff. eod.* Rectene vero Prætor edixerit: Si quis eum, apud quem aleâ lusum, esse dicetur, verberaverit, damnumne dederit, sive quid eo tempore dolo malo subtraxerit, judicium se non daturum *l. 1. ff. d. Aleat.* Poterat quis existimari non rectè, quia enim furtum clam fit, atque obscure, videtur ejusmodi
crimen

crimen esse, quod pœnæ vicem explere non possit, pulsare vero, damnum dare, pœnæ loco esse possunt: Verum, cùm poterat Prætor actione aliqua pœnali hominem coercere, aut remittere ad Præfectum Urbi puniendum, cur maluit coercionis genus eligere, quod captionis atque calumniæ plenum est? Hoc enim edicto Prætoris invitantur homines ad furta, damna, injurias ac fraudes, promissa delictorum impunitate, quod exemplo perniciosum esse nemo non videt. Et si ut maximè digni videantur damnis atque injuriis, qui lustrum Aleatoribus præbent, nos tamen indigni, qui aut faciamus aut invitemus: Sic enim & meretrix digna, quæ injuriam patiatur. At quam sapienter quam eleganter Comimicus:

Non te dignum Chærea.

Fecisti; Num si ego digna hac contumelia

Sum maximè, at tu indignus qui faceres tamen.

Ant. Matthæi *d. Crim. pag. 46.* Du. Bruneman *ad l. 1. ff. d. Aleat. n. 1. 2.* qui affirmat hoc merito moribus sublatum, aut tollendum, nam nemini à privato injuria vel furtum inferendum impune.

X. Hoc interdicto etiam continetur improba mendicitas, est enim extraordinarium crimen mendicare, cum quis vires habeat laboribus sufficientes; Mendici enim validi qui per inertiam vitam transigunt, & stipibus corrogandis sibi probro, populo oneri sunt, apud peculiarem Quæstorem accusantur. Nov. 80. c. 5. Hæc improba mendicitas proficitur ab inertia, quæ sola Athenis crimen erat, & porro egestatem gignit, utriusque comes furacitas aliaque facinora. Div. Thom. 2. 2. *qu. 187. art. 5.* duo mendicantium genera tradit; quidam enim vel ob ætatem, vel corporis infirmitatem labores manuum tractare nequeunt, & sic ipsa necessitate ad stipem colligendam adiguntur: Quidam vero validis lacertis instructi, sed ignaviæ ac socordiæ morbo laborantes, mendicitate sibi victum quærere malunt, quàm labores manuum suarum manducare: Prior mendicitas est licita, de quâ loca sacrae Scripturæ sunt intelligenda. *Marci 14. v. 7. Deut. 13. v. 11. Esaiæ 38. v. 7. Prov. 9. v. 7. Matth. 19. v. 21. Luc. 3. v. 11. c. 11. v. 14. c. 14. v. 26. & 33. & c. 16. v. 9. 2. Cor. 8. v. 18. Gal. 6. v. 9. & 10. Ephes. 4. v. 27.* Mos. de Kotzi *præcept. affirm. 162.* Majemon. quos refert Joh. Selden. *d. I. Nat. G. l. 6. c. 6. p. 694.* Et profecto Eleemosynas debitas non erogare, est pauperes suo victu spoliare, quod Deus nunquam sinet esse impunitum. *Osand. in Deut. c. 14. Conrad. Theodor.*

Theologus in discursu suo de Eleemof. qu. 2. Huc pertinent uberrimæ promissiones apud *Esai c. 58.* Et qui egenos spoliant, magnas sibi & Reipubl. accersunt clades; quod comminatus Jehova per *Amos c. 5. v. 11.* Quæ Eleemosynæ etiam diversæ religionis & sectæ mendicantibus, ut Pontificiis vel etiam Judæis ac Paganis, si de miseria atque egestate illorum certo constet, sunt erogandæ. *Ad Gal. 6. v. 10.* Unde Episcopus Atticus cum Calliopio Ecclesiæ Nicenæ Presbytero 300. aureos mitteret, hanc addidit monitionem; *Erogato pauperibus, neque in hac officii parte ullam sectæ aut religionis cujusquam rationem ducas, neque porro respectum ad eos, qui à nobis in fidei sententia dissentiunt habeas, sed in illud unum incumbas, ut qui fame cruciantur, eos alimentis subleves.* *Socrates. Histor. Eccles. lib. 7. c. 25.* Improba vero mendicitas, otii & desii comes, nequaquam in Republicâ bene constitutâ est toleranda. *Reink. de Regim. secul. lib. 2. class. 1. cap. 7. n. 7.* Hi enim validi mendicantes, veris pauperibus debitas eleemosynas cripiunt, & crimen furti committunt. *Jodoc. Damh. præct. crim. c. 110. n. 55.* Tertullianus de consuetudine suorum temporum scribit, Eleemosynæ quasi deposita pietatis sunt, nam inde, non epulis, nec potaculis, nec ingratis voracibus dispensatur, sed egenis alendis, humandisque, & pueris & puellis re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, vel insulis, vel in custodiis duntaxat ex causa Dei facti alumni confessionis suæ fiant. *vid. Joh. Gerh. & Conrad. Dieteric. consilia de mendicis apud Dedeken vol. 2. sect. 14.* *Dn. Ahasv. Fritsch. in eleg. tract. d. mendicant. valid. Anth. Matth. d. Crim. p. 280. 281.* Sic etiam sciant ditiores illi qui pauperibus scholaribus beneficia & stipendia præripiunt, se graviter peccare, proximeque hoc factum accedere non solum ad furtum, sed etiam quod stipendia hæc eleemosynarum jure censeantur, ad sacrilegium. *Anton. Faber in Cod. lib. 1. tit. 3. d. 57.* *Div. Hieronym. in Canon. 6. 1. qu. 2.* Qui bonis Parentum & opibus suis se sustentare possunt, si quod pauperum est accipiant, sacrilegium profecto committunt, & per abusionem talium, judicium sibi manducant & bibunt. *vid. Ahasver. Fritsch. in tract. Nomico Polit. d. Stipendiis & Stipendiatis Scholar.* Illud hic venit investigandum, an hac lege Decalogi usuræ etiam sint prohibitæ? *Scholastici, & Moralistæ* ferè omnes usuras omni jure prohibitas esse asserunt. *Div. Thom. 2. 2. qu. 78. art. 1.* ibique *Cajetan. Turrec. Sot. & alii* relati à
Covarruv.

Covarruv. l. 3. var. resol. 1. n. 7. Lessl. de Just. & J. l. 2. c. 20. dub. 4. Ludov. Molina de Just. & J. tract. 3. d. Contract. disp. 304. n. 15. & seqq. Alphons. Castro l. 14. adversus hareses verb. usura. August. Barbosa. in Collectan. ad cap. 2. X. d. Usur. Quæ sententia sine temperamento, & moderatione concedi non potest, & proinde si quæras de Jure Naturæ H. Grot. in annot. in libros Evangel. p. 684. probat argumentis omnium exceptione majoribus usuras jure naturali non esse vitatas multi ut probent ajens illicitum esse omnem quæstum ex usu pecuniæ aut rei similis alteri concessio, dicunt pecuniam naturâ suâ esse sterilem. Sed in hoc argumento manifestus est παραλογισμός. Dicitur enim pecunia sterilis naturâ, non quod jus naturæ id præcipiat, sed quod hominum industria non ipsa natura tali fructu originem dederit: quomodo & domus naturâ est sterilis, cujus tamen pensiones iniquè à domino nemo dixerit. Alii illud urgent, mutuo transferri dominium: fructum autem rei penes dominum esse debere. Sed ista quoque subtilitas vocum ad æquitatem naturalem nihil facit. Nam in rebus quæ genere recipiunt functionem ut pecunia, frumentum, vinum, jus illud ad recipiendum idem genere est vice dominii. Fatentur autem omnes plus eum recipere qui statim aliquid recipit quam qui multo post tempore, ob utilitates eas quas secum fert ἡ φυσικὴ κατοχὴ, quod non minus in mutuo quam in re commo- data procedit, si rei momenta non verborum apices sectamur. Hoc ipsum autem quod in temporis mora situm est, haud dubie æstimari, ac proinde & in stipulationem deduci potest. Nam si cuidem mutua centum, & paciscar ut alio tempore mihi det itidem centum mutua, quæ est vera ἀνταλλαγή, quomodo iniqua probabitur magis esse hæc pactio quam si bovem vicino ad opus ruti commodem, ea lege ut idem aliquanto post mihi tantundem præstet? Jam vero illa iterum mutuum dandi obligatio, ut res omnes, communi mensura, id est pecunia æstimari potest. Dicitur natura non teneri quenquam prodesse alteri cum detrimento suo. At is qui pecuniâ ad tempus caret in gratiam alterius, poterat eam in agros aut domos impendere ac medii temporis percipere fructus, quos si quis dicat incertos, illud ipsum tamen incertum, ut omnis alea, suum habet periculum, ita ut vendi quoque soleat. Rursum si locupletior censetur, cui sine proprietate legatus est pecuniæ ususfructus, apparet hunc ipsum usum aliquid esse quod æstimationem recipiat: atque idem proinde de annuo usu dicen-

usu dicendum est. Video à plerisque eorum qui usurarum stipulationes damnant, usuras ex mora non improbari: ac proinde concedi, ut, ni præfinito die mutuum reddatur, usuram stipuler. Hoc autem quid est aliud quam verbis non negotiis leges figere? Licebit enim, si ea sententia recipitur, ita pacisci, ni intrâ triduum reddas solves tantum pro mora; quod si tridui illius omiſſa sit mentio pactio erit illicita. Hæc subtilitas in scholis habet verborum effugia quibus se tueatur, negotiis cum aptatur tum demum ejus inanitas apparet. Quare ita habendum est, posse non repugnante naturâ eum qui pecuniæ usu in gratiam alterius careat, vicissim aliquid eo nomine pacisci. Ut autem ſciatur quantum recipi æquitas permittat, non est spectandum, ut quidam censent, quantum lucri faciat qui pecuniam sumſit, sed quantum ei absit qui alteri pecuniam numeravit: sicut in emtione quoque & in aliis contractibus nunquam æſtimatio faciendâ est ex eo quod interſit accipientis, sed ex eo quod absit danti. Abest autem tantum, quantum quisque pro vitæ suæ genere ex pecunia compendi facere potest ac solet: puta ex agris, ex dominibus, ex mercatura, detracta æſtimatione periculi, quod in aliis rebus majus, in aliis minus est, ita ut fieri inter mercatores solet in contractu averſi periculi quem aſſecurationis vocant. Idem confirmat Grotius *d. I. B. lib. 2. c. 12. n. 20.* Seldenus *d. I. N. G. lib. 6. c. 10. p. m. 722.* Nec jure Ebræorum usuræ simpliciter sunt vetitæ, uti probatur *Prov. 28. v. 8. Deut. 23. v. 19.* Ex quibus locis talis potest formari propositio: Quicquid est simpliciter injustum, illud nec in extraneum debet exerceri, imprimis, cum Deus Optimus Maximus, qui est æterna justitia, extraneum à populo diligere, juvari, nequaquam opprimi, aut injustis actionibus affligi voluerit. *Levit. 19. v. 33.* Et si omnis usura esset illicita, Servator noster illam in parabola, tanquam laude dignam, non introduxiſſet, ob quam neglectam servus à Domino, sub cujus persona semetipsum, & patrem suum vult intelligi, meritò redargueretur, & extremis tenebris & suppliciis manciparetur. *Oportuit, inquit, te argentum meum tradere trapezitis, & veniens ego recepissem meum utique cum usura. Matth. 25. v. 27.* Grot. ad *Evangelist. p. 430. Luc. 19. v. 23.* Nec obstant loci in *Pſal. 15. v. 15. & Ezechiel. 18. v. 7. 8. 13. 14. 17.* Illa omnia dicta sunt intelligenda de iis usuris, quæ à pauperibus exiguntur, & ab iis, quorum facultates sunt attritæ, *Exod. 22. v. 25. 26. Levit. 15. v. 35. 36. 37.* Utque ſummatim dicam, his, quos aliqua urget necessitas, ex mandato

mandato divino & lege Christianæ charitatis, nostra sponte & gratis, nulla ex actione usurarum succurrendum est, sæpè etiam pro conditione personarum & circumstantiarum liberali donatione, & usura à Domino qui abunde retribuet, expectanda. Erga hos enim non est, quod quis agat ex legibus justitiæ, sed ex præscripto & regula humanitatis, benevolentia, & misericordiæ. Cum iis verò, qui non tam necessitatis, quam utilitatis quæstus majoris faciendi causâ pecuniam mutuam sumunt, & alienâ utuntur, ita agatur, ut pro usu pecuniæ non plùs, quàm quo detrimentum justè sarciat, exigatur. Cum vero difficillimum sit, illa, quæ ita in confinio virtutis & vicii sunt posita, rectè suscipere & administrare, quia homines præcipuè, quando aurum ibi micar, magis in deteriorem partem inclinant, & habendi cupiditate allekti, à regia virtutum via facilè aberrant, hinc factum est, ut rara his temporibus sit legitima usura, unaque illegitima & injusta regnum fermè obtinuerit, & nomen utriusque commune ad se solum traxerit, quæ causa est, ob quam SS. Patres, & Episcopi, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, adèd acerbè in usuras invehantur, ullo habito discrimine, quia illis temporibus sola illa, quæ est injusta, & illegitima in usu erat. Ambrosius *lib. de Tobia c. 6. & c. 10.* ubi testatur, si aliquoties vidisse à fœnatoribus teneri defunctos pro pignore, & negari tumulum, dum fœnus exposcitur, quibus se dixisse: Tene reum vestrum, & ne vobis possit elabi, domum ducite, claudite incubili vestro. Augustinus *ep. 52.* inquit: *An credulior, est qui subtrahit aliquid vel rapit diviti, quam qui trucidat pauperem fœnore, nam & juxta Catonem (Cic. 2. de offic. Unde Ambrosius quoque de Tobia c. 14. allegat) fenerari est hominem occidere.* Chrysostomus *c. 1. Matth. Homil. 5. & c. 5. Homil. 12. c. 17. Homil. 57.* Si tamen verum fateri velimus, paulo latius excurrunt, & evagantur SS. Patres, & omnem usuram, omne augmentum, undecunque tandem illud sit, condemnant. Ambrosius *L. Tobia c. 15.* omne simpliciter augmentum excludit. Idem S. S. Patribus contigit, quod multis aliis evenit, ut, cum alterum extremum evitare voluerint, in alterum impeerint. Cùm enim animadverterent Bb. Patres, quanta damna darent usuræ, quàm foedæ à plerisque exercerentur, quàm planè legitimus earum usus ab illegitimo esset absorptus, similiterque animadverterent, quàm difficile sit in bivio aut præcipitio positum ab errore aut lapsu sibi cavere, præsertim cùm homines ita sint comparati, ut

rati, ut ab amore pecuniæ, & cupiditate habendi in varia & magna pericula facilè trahantur, consultum visum fuit istis moribus & temporibus sic procedere, & ad illum modum homines tractare. Vide sis B. Calixtum in eleganti tractatu de Usuris. Claud. Salmaf. *d. Usur.* Andr. Rivet. *in explicat Decal. p. 367. & seqq.* Jure Canonico *distinctione 47. c. 2.* ex Concilio Nicæno 17. E. Concilio Eliberitano *c. 20.* Gregor. *lib. 4. epist. 40.* non nisi Clericis usuræ interduntur, verùm in Decretalibus *lib. 5. tit. 19.* usuræ simpliciter condemnantur. Idem factum à Clemente V. in *Concilio Viennensi*, ut habetur in *Clement. lib. 5. tit. 5.* Jure civili Romanorum usuræ sunt permissæ *ff. & C. tit. d. Usur.* vid. Dn. Stuv. & Hahn. *tit. d. Usuris.*

X. Videamus nunc casus, quibus sine crimine furti res alicujus auferri possunt. Et quidem Deus T. O. M. ratione creationis & conservationis, absolutissimum & inde pendens habet dominium, in vitam & res humanas: *Less. d. Just. & Jur. l. 2. c. 4. dub. 1. n. 2.* Quod si itaque præcipiat res alicujus auferri, non licitum erit furtum, quod vitæ & rerum supremo Domino autore fit. *Grot. d. J. B. l. 1. c. 1. n. 10. in f. l. 2. c. 21. n. 14. l. 3. c. 1. n. 4. l. 3. c. 11. n. 9.* jus quidem naturæ adeò est immutabile, ut ne à Deo quidem mutari possit *Suarez. d. LL. l. 2. c. 13.* licet enim immensa Dei sit potentia, dici tamen quædam possunt, ad quæ illa se non extendit, quia quæ ita dicuntur, dicuntur tantum, sensum autem qui rem exprimat, nullum habent, sed sibi ipsis repugnant. Sicuti ergo, ut bis duo non sint quatuor, ne à Deo quidem effici potest, ita ne hoc quidem, quod intrinsecà ratione malum est, malum non sit. *Soto d. Just. & J. l. 1. q. 4. art. 5.* Guil. *Grot. de Princ. jur. nat. c. 3. n. 8.* H. *Grot. d. J. B. l. 1. c. 1. n. 10.* *Suarez. d. LL. l. 2. c. 5. n. 2. 4. & c. 6. n. 11.* Fit tamen interdum, ut in his actibus, de quibus jus naturæ aliquid constituit, imago quædam mutationis fallat incautos, cum severa jus naturæ non mutetur, sed res, de quâ jus naturæ constituit, quæque mutationem recipiat. Ita in casu, quando Deus supremus rerum arbiter jubet res alicujus auferri, tunc enim non est furtum, qui enim actus dicitur supremo rerum domino autore fieri, ille nequaquam dici potest furtum, quatenus illa vox crimen aliquod involvit. *Guil. Grot. d. pr. jur. nat. c. 3. n. 10. & c. 13. n. 8.* Hugo *Grot. d. I. B. & Pac. l. 1. c. 1. n. 10. in f.* Andr. Rivet. *Expl. Dec. p. 362.* Quod ipsum cum proportionem ad Magistratus summos applicari potest: Majus enim est in res singulorum dominium eminens, ad bonum commune, quàm dominium singulorum. *Grot. d.*

Grot. *d.I.B.l.1.c.1.n.6.l.2.c.14. n.7.8.l.2.c.21. n.11. l.3. c.20. n.7.* Cum itaque res subditorum sint sub eminenti dominio civitatis, exinde hoc confectarium elicitur, quod civitas, aut qui ejus vice fungitur, iis rebus uti, easque etiam perdere & alienare possit, non tantum ex summâ necessitate, sed ob publicam utilitatem, cui privatas cedere illi ipsi voluisse censendi sunt, qui in civilem cœtum coerunt; unde leges Regiæ. Quæcunque ex usu Reipublicæ, Majestatisque, divinarum, humanarum, publicarum privatarumque rerum esse censebit, ei agere, facere, jus potestasque fiet. *Besold. d.I. Maj. sect. 1. c.7. n.6.* vid. *Ant. Gabriel. lib. 3. tit. d. jure quas. non toll. conclus. 2. n.15. n.24. Lancell. temp. jud. l.1.c.1. §.3. vers. 9. Vasq. illustr. controv. l.1. c.5. n.12.* Ludolph. Rodolph. *tract. d. absol. princ. potest. cap. 4.* Publicam utilitatem totius communitatis commodo privato esse præferendam, recta ratio & consensus omnium Gentium moratorum docer, nec non autoritate legum Romanorum probatur, *l. 6. in pr. l.11. §.2. l.14. §.ult. l.16. §.ult. ff. d. muner. Nov. 7. c.9. §.1. l. sancimus. 21. C. d. S. S. Eccl. l. un. §.14. C. d. caduc. toll. l.3. C. d. Princip. l.12. Gail. l.2. obs. 56. n.3. & seqq.* Arnif. *d. Jur. Maj. l.3. c.1.* Ob hanc publicam utilitatem & necessitatem, potest Princeps salvâ conscientiâ ad exstruendum propugnaculum, ædificia subditorum destruere, ac hortos & prædia in publicos usus transferre, *l. 8. quando, l. omnes, l. ædificia. C. d. oper. publ. bona subditorum vendere, actiones civium remittere pro obtinenda pace. Gail. d. P. P. l.2. c. 19. n. 25. & l.2. obs. 57. Minf. cent. 4. obs. 9. Grot. d. I. B. lib. 3. c. 20. n. 7. Bœcl. in not. ad Gr. l.1.c.1. p. 114.* Ubi ponit hæc exempla insigniora: Sit urbs aliqua munienda, ut olim Athenæ, & breve quidem intra temporis spatium, desit autem materia & lapides, sumi poterunt ex hortis aut prætoriis singulorum, sub conditione compensationis; idem fieri poterit, ut horti, agri, ædificia singulorum, munimentis occupentur. Aut durante obsidione ædes privatorum dejiciantur, ut ratio belli dictat. Sit in obsessa urbe fames, recludi poterit singulorum annona, & describi, & vel invitis dominis, distributio æqualis fieri in omnes: venditio itidem imperari nolentibus. *Grot. d. I. B. l.2. c. 25. n. 3. in f.* Sit urbs aliqua confusa ædificiis, nulla platearum amplitudine aut distinctione, sicuti requirebat commoditas importandarum & exportandarum rerum, aut defensionis ratio, adversum incendia & vim hostilem, dirui videmus quasdam domus, non sine compensatione tamen. Nec hoc repugnat juri naturali & divino, dictanti,

ut unicuique suum fervetur, nemini suum auferatur, quia ut Cic. ait *lib. 3. d. LL. Salus populi suprema lex est, & nihil Deo acceptius & magis secundum naturam, quam ut publica tranquillitas utilitasque procuraretur.* Juris Divini & Naturalis multæ sunt regulæ, & earum aliæ sunt superiores, aliæ inferiores, quas quoties eventu collidi contingit, inferiores superioribus cedunt, quæ etiam ab his interpretationem recipiunt. Hinc regula illa inferior, quæ dicitur, suum nemini esse auferendum, sic intelligi debet, ac si conjunctâ superiore, lex uno verborum complexu sic scripta foret: Nemini suum est tollendum, nisi tamen publica salus aliud postulerit. Hunc enim ordinem Deus naturæ parens, à quo omnes Principes curam humanæ societatis & formam regendæ Reipublicæ acceperunt, constituit, ut privatis publica, pretiosis pretiosiora anteferantur. Equidem justum est & rectæ rationi valde consentaneum, unumquemque res suas tenere, sed justius est & rectæ rationi magis conveniens, res suas quibusdam adimi, quàm ut eo omisso, pax & quies totius populi impediatur, Gudelin. *d. Jur. Pacis c. 6.* Rectè verò tradit Grot. *d. I. B. l. 2. c. 14. n. 7.* Quod si ex vi supereminentis dominii ob publicam utilitatem privatis jus quoddam auferatur, ex communi compensatio illi, qui suum amisit, fieri debeat. Nec hoc onere levabitur Civitas, si nunc fortè ei præstationi par non sit, sed quodocunque copia suppetit, exierit sese quasi sopita obligatio. Grot. *d. 7. B. l. 3. c. 20. n. 7.* Greveus ad Gail. *lib. 2. obs. 56. confid. 2.* Quid enim justius aut æquius, quàm ut communiæ habeant, nec ad unum alterumve redundent damna, quæ societatis conservandæ gratiâ contingunt, exemplo legis Rhodiæ, quæ in toto orbe Romano & ab omnibus populis propter summam æquitatem recepta est. Hæc fuit cautum, si levandæ navis causa mercès alicujus vectorum jacta essent, aut si navis a Piratis redempta esset, ut damnum contributione sarciretur, æquisimum enim est (inquit Jctus) commune detrimentum fieri eorum, qui propter amissas res aliorum consecuti sunt, ut suas salvas habeant. *l. 1. 2. ff. ad L. Rhod. d. iact.* vid. Christin. *Vol. 5. dec. Belg. 65. n. 38.* Vinn. in notis ad Peck. in *d. l. 1. ff. p. 193.* Ex eadem ratione naturali inferunt Doctores ad *d. l. 2.* domum aliquam sine injuriâ dirui posse, ita tamen, ut damnum id sarciri debeat à vicinis, ad quos ignis erat perventurus. Petrus Gudelinus *d. Jur. Pacis c. 7.* Marcus Zuërius Boxhoënius in *disq. Polit. cas. 31.* ubi elegans refert judicium. *p. 131. & 132.* Summâ itaque prudentiâ a S. Cæsarea Ma-

rea Majestatis cum consensu Procerum imperii in pactione Osnabrugensi illis Principibus, qui jure suo in ditiones Regi Sueciæ concessas cesserunt, alias ditiones pari modo & formula, pro æquivalente recompensatione, (retinemus verba sanctionis Pragmaticæ) tradidit. Huic temperamento Dominii eminentis accedunt & alia, quæ regulis officii, æquitatis, prudentiæ, modestiæ debentur, quando vel exercetur hoc jus, vel de eo exercendo consultatur: *Conscientia enim est, uti docet, Dn. Bœcl. in not. ad Gr. l. 1. c. 1. p. 121. præsertim Christiano more erudita, quæ rectores Civitatum eorumque Consiliarios interpellat; ne abuti tam sancto salutis publicæ expediendæ remedio in animum inducant; ne præproperè, ne temerè aut avidè in hoc negotio versentur: ut cavillationibus eorum, qui ubique ad extraordinaria & subsidiaria, nec ordine, nec jure viam affectant, aures occludant: ut, quæ tractatu dura, à tractabilioribus probè distinguant: ut a dominationis herilis, de qua hic nihil agitur, propositis animum deflectant. Quanquam, ne herili quidem Imperio intentos ratio deficiet, quæ ad moderationem ducat. Prudentia autem etiam, ubi jus fundatum est, considerabit tempora, animos, fata; adeoque quid factum infectumve velit, eligit: nec in præsens modò rem conficere, sed in longinquum disponere cupiet. Modestia denique pulcherrimum opus in eo versabitur, si persuasisse magis, quàm imperasse civibus, quæ dura sunt, videberis: si non verborum modo comitate, sed constanti fide, civilem ac æquabilem animum iis, qui publico nomine jacturam faciunt, approbaveris. Omnino enim bona fide summa potestas vel compensationem civibus, si non statim representari potest, vel pactionem exteris, ad quam dominii eminentis ope profectum est, præstabit. Neque necessitatis Imperio, cujus ad salutem expediendam valuit autoritas, ad cavillanda, quæ acta sunt, utetur. Illa difficultas hic sese offert: An etiam exterorum bona supereminenti dominio subsint, ita ut ob publicam utilitatem illa auferri possint? Quod negat Grot. d. I. B. lib. 2. c. 14. n. 8. quam sententiam rectè supplet laudatus Dn. Bœcl. in not. ad Grot. l. 1. c. 1. p. 117. ex doctrina de subditis temporariis, quos appellitant. Quicumque enim ex causa temporaria agnoscere tenentur summam potestatem hujus vel illius Civitatis, sive subditi temporarii facti sunt, illi non possunt in tantum detrectare aut defugere autoritatem dominii eminentis. Hoc fundamento nituntur Principes, qui exterorum bona in portibus suis deprehensa necessitati*

respiratibus Reipubl. suæ accommodare, sub obligatione mutui, non sunt veriti.

XI. Sed quid dicendum de Jure Usucapionis? Amelius: *Per me-ram* (inquit) *Usucapionem non transfertur dominium in foro conscientia: Qui enim sciens volens retinet alienum proprio domino invito, peccat contra jus naturæ; Neque a lege hoc præcipitur, sed tantum permittitur.* Verùm excusandus est Theologus, dum veram & genuinam usucapionis & præscriptionis naturam atque indolem ignoraret. Is enim, qui legitime rem usucepit, & præscriptione se tuctur, sciens volens non retinet alienum domino invito, atque non delinquit contra jus Naturæ. Neque id lege tantum permittitur, sed præcipitur; Cujus juris ratio in publicâ utilitate consistit, ne enim dominia rerum essent incerta, lites immortales, certum tempus constitutum est, quod dominis sufficit ad inquirendas res suas, quâ verò ratione justa visa est distinctio dominii, eâdem æquitate justissima visa fuit conservatio distinctiois, & translatio de uno ad alium; Sublatâ enim distinctioe oritur confusio, quâ nihil magis rectæ rationi & juri divino adversatur, quare æquisima fuit visa conservatio per usucapionem, sine quâ metus esset summæ confusionis, nec ullus mortalium de dominio ejus, quod possidet, certus esse posset, quia propter rerum diversam varietatem plerumque incertum esset, num tradens esset dominus nec ne, ex quâ incertitudine, negligentia, rerumque incuriâ, & exinde confusio, ex confusione commune omnium damnum vel etiam interitus sequeretur. Cui malo boni publici causâ occurrendum, nec in illis, qui patiuntur rem suam usucapi, & peccant negligendo rem suam in communem societatis perniciem, absq; metu confusionis & perturbationis societatis humanæ aliud constitui potest, quàm ut negligentia Domini, rei dominio multaretur. Hugo de Roy *de eo quod justum lib. 3. tit. 3. n. 1. 2. 3.* Puffend. *Element. jurispr. lib. 1. def. 5. §. 24.* Juris effectus, qui ab animo pendent, non possunt ad solum animi actum consequi, nisi is actus signis quibusdam sit indicatus, nudis enim animi actibus efficientiam juris tribuere non est congruum naturæ humanæ, quæ non nisi ex signis actus animi cognoscere potest. Grot. *d. I.B. & P. lib. 2. cap. 20. n. 18.* quæ signa non quidem habent certitudinem Mathematicam, sed probabilem, non tamen patitur naturæ humanæ societas, ut actibus animi sufficienter indicatis nulla sit efficacia; ideo quod sufficienter

cienter indicatum est, pro vero habetur adversus eum, qui indicavit: Si itaque quis verbis vel factis voluntatem suam declaraverit, illis signis est standum. Sub factis verò moraliter veniunt non facta, considerata cum debitis circumstantiis; sic qui rem suam ab alio teneri scit, nec quicquam contradicit multo tempore, is nisi causa alia manifeste appareat, non videtur id alio fecisse animo, quàm quod rem illam in suarum rerum numero esse nollet: Et sic licet hic Physicè factum domini non concurrat, attamen civiliter & moraliter concurrat, quando intra tempus à legibus determinatum res suas non reperit. Dn. Bechm. *ad tit. ff. d. Usuc.* Hugo. Grot. *ad Vet. Test. lib. judic. vers. tanto & d. Jure B. & Pac. lib. 2. cap. 4.* ubi tamen *n. 5.* in fine, ut ad derelictionem præsumendam silentium valeat duo requirit, ut silentium sit scientis, & ut sit liberè volentis, nam non, agere nescientis, caret effectu: & alia causa cum apparet, cessat conjectura voluntatis. Verùm nec supina quædam inscitia in viro prudente toleranda est. Uti rectè concludit incomparabilis Dn. Herm. *Conring. in tract. de Finibus Imperii. Germ. p. 358.* Et illud quæsitum: An bona naufragorum salvà conscientia fisco applicari possint? Multis in locis obtinuit mos ille parum humanus talia in Fiscum trahendi. *Νόμος ναυ-Φεράγια τῶν τελονῶν εἶναι*, est apud Syrianum & Sopatrum ad Aphthonium, apud Chirium Rhetorem. *lib. 1.* meminit & Paulinus Epistola ad Macarium 37. Grot. *in Flor. Spars. ad jus Justin. l. 1. C. d. Naufr.* Maximè is mos viguit in Gallia, Anglia, Hispania, aliisque fere totius orbis regionibus tanta regnat animi inclementia, ut Fiscus in rebus tam luctuosis compendium secleretur, & in aliena calamitate atque Naufragorum bonis, inveteratà consuetudine indistinctè jus habeat vendicationis. Argenti: *ad Consult. Brit. art. 56. gloss. 1. n. 48.* Rebuff. *ad Const. regni proom. gloss. 5. n. 74.* Joh. Seld. *d. Mari clauso l. 1. c. 7. p. 52. & lib. 1. c. 24. p. 177.* Chron. Alb. Stad. anni 1112. Simon Grœnevegen, *abrogatis l. 1. C. d. naufr.* Graviter in præcipitem illam publicationem rerum ad littus ejectarum invehitur Bodin. *d. Rep. l. 1. c. 10.* *Barbarum id quidem, inquit, & anti-quis inusitatum, ut cujus opes & fortuna naufragio misere perierant, & quem nostris opibus sublevare debeamus, ejus reliquias, quas ad littus ejectas, bona fide restitui oportebat, turpe diripi patiamur. Sic tamen, inquit, vivitur, ut qui portus habet, eam crudelitatem tum in civis, tum in peregrinos exsequantur. Jus queris? Error jus facit, & si non pec-*
catur erro-

catum errore, sed scientia, scelus est, quod erroris specie pretenditur. Et profecto nulla probabile causa precedente dominium alicui suum auferre mera injuria est. Atqui hoc in casu nulla probabilis causa adferri potest: uti probat Didac. Covarr. ad C. Peccatum: part. 3. §. 1. n. 5. Less. d. Just. & J. lib. 2. c. 5. dub. 18. Cajetan. 2. 2. qu. 66. art. 5. Bene Euripides Helena: ναυφραγός ἦκω ξένος ἀσύλητον γένος. Sum naufragus, spoliare quod genus nefas. Quid enim jus habet fiscus (verba sunt Constantini) in aliena calamitate, ut in re tam luctuosa compendium sectetur. Grot. d. I. B. l. 2. c. 7. n. 1. Potest huc accommodari locus Casidori, lib. 4. var. 7. ubi sic scribit: Crudelitatis genus est ultra naufragium velle deservire, & illos ad dispendia cogere, quibus inopem vitam probantur immania elementa dedisse. add. Authent. Navigia C. d. Furtis. Paul. Christin. in Dec. Belg. Vol. 5. decis. 64. Jacob. Godofr. in disp. sing. ad L. Rhodiam. Gryphander de Insulis c. 31 n. 101. Rosenkrantz d. Jur. Dan. posit. 7. Joh. Loccen. d. Jur. Marit. l. 1. c. 7. Stypman de jure Maritimo & naut. part. 5. c. 5. P. Peckius in comm. ad Auth. Navigia C. d. Furtis Edit. Vinn. p. 369. n. 3. Arnis. d. jure Majest. l. 3. c. 6. n. 19. p. 423. Dn. Tabor in Racem. Crim. p. 314. Salmas. d. mod. Vfur. c. 5. putat, non Constantinum, sed Antoninum autorem esse memoratae constitutionis sub tit. C. d. Naufr. idque stylum ostendere & veteres libros testari, nec relatam esse sub eundem titulum in Cod. Theodos. quod & D. Contius antea observavit; vid. Vinn. in Comm. ad Inst. d. R. D. p. 187. Nonnulli consuetudinem hanc seu abusum Gallicum sic excusant. Le Roy (inquit la Roche in institutionibus collatis ad mores Galliae d. R. D. p. 198.) ou pour le moins, qui tient de luy les droicts Royaux, reçoit des grands gains de la fracture & blessure des navires, de ceux qui en acheptent les profits & emoluments, Ce qu'il ne faut entendre en sorte que le Roy se puisse vendiquer & attribuer les biens, de ceux qui font le naufrage; car ce seroit contre le droit Divin, Naturel & Civil. Mais autant qui n'est permis, qu'au seul Prince, de les occuper, à fin que le maistre & Seigneur les rende chassant & repoussant les pirates. Rectius & sanctius in Imperio Romano mandata restiles pirates. Rectius & sanctius in Imperio Romano mandata restitoria sine clausula, pro bonis naufragio amissis, contra eos, qui res jactatas quocunque pretextu detinent, ac damnum passis restituere nolunt decernuntur. Stamm: lib. 3. d. Serv. pers. c. 8. n. 21. non attentâ consuetudine,

tudine, in qua se fundant Gail. *lib. 1. obs. 18. num. 6.* Dn. Tabor *Racem. Crim. p. 217. Constit. Caroli V. art. 219.* Alii Principes egregio temperamento jus domini eminentis circa naufragia moderati sunt, constituto certo tempore, e. g. annuo, intra quod mercatores & Domini, sua, probato dominio, repetere possunt; nemine autem comparente demum fisco cedant: Et quia periculum aliquando est, ne merces corrumpantur, sub hasta venditarum pretium asservetur, vel Domino, si compareat, restituendum, vel fisco post exactum tempus applicandum. Sicut refert Ant. Peretz, *in C. lib. 11. tit. 5. §. 29.* Dn. Boel. *in not. ad Grot. l. 1. c. 1. p. 120.* Grot. *introduc. Jurispr. Batav. l. 2. part. 4. n. 33.* ubi quæ de hac re extant Principum Edicta congescit. Zipæ *notit. f. Belg. d. f. Fisci in vers. bona naufragorum.* Simon à Grœnevvegen *d. L. L. abrogat. l. 1. C. d. Naufr.*

XII. Porrò res propriæ in pœnam alicui auferri possunt, Grot. *d. f. B. l. 2. c. 14. n. 7.* Sic si quis perduellionis sit damnatus, omnia in universum bona, excepta uxoris dote, publicantur. *N. 17. c. 12. N. 134. c. ult. l. quisquis C. ad L. Jul. Majest. Aurea Bulla tit 24. in verb. Es soll derselbige als der an der Majestät schuldig. & ordin. Crim. Carol. V. art. 218. Arnis. d. f. Majest. l. 3. c. 6. n. 13. Carpzov. in Pr. Crim. p. 1. qu. 41. n. 109. & seqq. Anton. Matth. d. Crim. lib. 48. tit. 18. c. 2. & tit. 2. n. 7.* Verùm quia Imperator *in d. N. 134. c. ult.* in Majestatis crimine veteres LL. vult observari, non immerito quæritur: An appellatione criminis Majestatis contineatur etiam hæresis? Dubitandi ratio, quia Majestatis Crimini comparatur hæretica pravitas, & bona ex ea causa publicari jubet. *l. 4. C. d. Hæret.* nisi damnatus liberos habeat orthodoxos, qui Fisco præferuntur. Et ita Dd. communiter existimant; Verùm illis assentiri non possumus, nedum ut probemus jus Canonicum, aut Friderici rescriptum, quod bona hæreticorum publicari jubet. Rescriptum enim Friderici pro parte juris agnoscere non possumus, cùm extra libros nostros, earum constitutionum numero contineatur, quæ extravagantes appellantur, & sunt dubiæ autoritatis. Minoris verò autoritatis est canon ille Pontificius, cùm ad Pontificem confiscationes bonorum non pertineant. Et peccant in eo Interpretes juris Civilis, quòd eam Constitutionem, quæ de improbiore hæreticis loquitur, veluti Manichæis, Donatistis, producant ad omnes, cum tamen reliquorum levior sit conditio. d

ditio. *d. l. 4. C. d. heret. l. 19. C. eod. N. 115. c. 3. §. Si qui de predictis 14. vers. generalem.* Deinde peccant in eo, quod sub crimine Majestatis *d. N. 134.* hæresin comprehendantur, cum non debuerint in dubio recedere à verbi proprietate; At verò propriè loquendo, hæresis non est species Criminis Majestatis, uti probat hoc firmissimis rationibus Anth. Matth. *d. Crim. l. 48. tit. 1. d. publ. judic. p. 298.* Excipit *d. Nov.* solum Crimen Majestatis, de hæresi nullum verbum facit, credendum igitur, voluisse bona hæreticorum ad proximos, non ad fiscum pertinere, dummodo proximi orthodoxi sint, nam qui sunt hæretici, iis capere fas non est. Ant. Matthæi *lib. 48. tit. d. panis p. 851.* Brunnem. *in Cod. tit. d. heret. l. 4. Et Auth. Gazaros.* Et licet concedamus, in hæresi propriè dictâ confiscationem bonorum obtinere, illa tamen constitutio ad crimen veneficii non est extendenda, ita, ut propter illud bona publicentur. Jul. Clarus *lib. 5. §. Hæresis. n. 25. in f. Gomez var. resol. c. 3. n. 13. vers. ex quo subducitur,* quem sequitur Menoch. *Consil. 1128. n. 17.* & ita in causa Nortling. contra Oeting: *Spolii 14. Jan. A. 1601.* in supremo tribunali Cam Imp. in in terminis contra confiscationem decilum refert Thomas Merckelb. *in Consil. Klock. Vol. 1. Consil. 14. n. 30. 31.* Sicut igitur propter Crimen læsæ Majestatis bona allodialia cedunt superiori Fisco, ita Feuda Domino obveniunt. Schrader. *p. 9. c. 8. n. 18.* Rosenthal *de Feud. c. 10. conclus. 35.* Vulrej. *d. Feud. c. 11. n. 79.* Anth. Matth. *d. Crim. lib. 48. tit. 20. c. 4. n. 20.* Capitul. Frider. III. Imp. *art. 28. verb. Wir gereden und versprechen auch.* Maximilian. & Carol. V. Imp. *ordin. pacis publ. Anno 1594. zu Worms & Anno 1548. zu Augspurg. sub tit. von den Friedbrechern verb. die Lehn so viel die vorstehen.* vid. *ordin. Cam. Imp. part. 2. tit. 9. §. So jemand.* Plures casus afferri possunt, quibus ob delictum in pœnam res alicui auferri possunt, uti ob non solum vectigal, merces in commissum cadunt. *l. 16. §. 3. 12. ff. d. Public. & Vectig. & dominium rerum commissarum ipso jure fisco, vel loco ejus Publicano acquiritur. l. 14. ff. eod. vid. Wefenb. part. 7. consil. 336. n. 65.* ubi tradit & præjudiciis confirmat, quòd non possint hæredibus auferri bona, quæ reliquit is qui post mortem arguitur, quòd prælitto licet juramento bona sua non rectè redemerit & census debitum non solverit. Das die Güter nicht recht verschoffet. Hi sunt modi, quibus à summo Principe jus quæsitum alicui auferri potest, nimirum aut in pœnam, aut ex vi supereminentis

eminentis domini. Præter hos modos, summa Majestas licitè jus suum alicui auferre nequit. Sunt qui latum discrimen collocant inter ea, quæ civium sunt ex Gèntium jure, & ea, quæ eorundem sunt, ex jure civili, ita ut in hæc jus laxius Regi concedant, etiam auferendi sine causa & compensatione, in illa non item; sed perversè. Dominium enim ex qualicunq; causa ortum sit, suos semper habet effectus ex jure naturali, ut scilicet auferri nequeat, nisi ex causis, quæ aut dominio insunt suapte naturâ, aut ex dominorum facto ortum habent. Grot. d. J. B. l. 3. c. 20. n. 9. l. 2. c. 14. n. 8. Princeps itaque cujus potestas summa atque legibus soluta est, cuique privato rem suam sine causa auferre nequit. Naturalis enim ratio, & secundum juris præceptum, nec non præceptum divinum dictant, neminem esse lædendum, nemini rem suam sine causa auferendam, id quod nostrum est sine facto nostro ad alium transferri non posse; Princeps autem nec divinis nec naturalibus legibus est solutus.

XIII. Non intempestivè hîc quæritur, quale sit illud jus, quod Regi attribuitur 1. Sam. 8. vers. 11. & seqq. his verbis: *Hoc erit jus Regis qui regnabit super vos, Filios vestros accipiet & ponet eos sibi in currum suum, ut sint Equites ejus, & currant antè currum ejus. Ponet quoque eos sibi in Tribunos, & quinquagenarios, & qui arcent agros suos, & metent messem suam, atque qui consiciant arma bellica, & instrumenta Currus ejus; Filias deinde vestras tollet, ut sint Unguentaria, Cupedinaria & Pistrices. Agros quoque vestros, vinea vestra & oliveta vestra optima tollet & tradet servis suis. Semina vestra & vineas vestras decimabit, dabitque Eunuchis suis ac servis suis. Servos vestros & ancillas vestras, Juvenes quoque vestros elegantes, & asnos vestros accipiet, illisque sua opera consiciet. Quin & gregem vestrum decimabit, eritisque ei servi. Et clamabitis eo die propter Regem vestrum, quem elegeritis vobis & Dominus non exaudiet vos illo die.* Et sanè ibi non descriptum esse verum jus Regis boni, liquet: quoniam ponuntur hic aliqua ad Tyrannidem, pertinentia, ut 1. agros, vineas, oliveta, & alia bona externa, vel penitus auferre, vel omni tributorum genere vexare; quo sanè non potest fingi major rapina; Cùm Deuter. 17. præcipiatur Regi, ne cor suum extollat præ fratribus, & à præcepto ne recedat dextrâ vel sinistrâ. Jam verò qui populum suum emungit opibus & bonis, ut habeat quod Eunuchis & servis donet, is utique recedit de præcepto illo: *non furaberis; & præ*

fratribus intumescit; Si verò illud licitum fuisset Regi, certè Achab Rex non peccasset, petendo vineam Naboth, quia usus fuisset suo jure; sed potius peccasset Naboth, non obtemperando Regi utenti suo jure. At hoc falsum est, Ergò & illud, ex quo sequitur. 2. Subditos, qui liberi sunt, facere mancipia, & in servitum redigere, eorumque filios & filias pro libitu in propria servitia & commoda destinare. Hoccine est officium boni Principis? Quin imò vix major Tyrannis excogitari potest; Juri enim Naturali ac divino hæc expressè repugnant. Quod & innuit Clemens Alexandr. lib. 3. *Padagog. c. 4.* inquires: *Deus petenti Regem populo non humanum pollicetur Dominum, sed quendam se insolentem daturum eis minatur Tyrannum, libidini & voluptati deditum.* Et Gregor. lib. 4. *Exposit. c. 1.* *His, qui misia & solubria divinitatis Consilia spreverant, dura & importabilia humana servitutis onera predicuntur.* Unde liquidò patet, Vocem משפט, quâ Spiritus S. hic usus est, non denotare verum jus, quod Regum proprium ac legitimum sit, sicut illud accepit Jacobus VI. Rex Britannia in libro *de jure libera Monarchia*; ubi id vocat *exemplar, ad quod omnes Christiana beneque constituta Monarchia confirmari oporteat.* Cui adstipulatur M. Anton de Dominis. lib. 6. *de Reg. Eccles. cap. 2. num. 7.* his verbis: *Hoc erit jus Regis, qui regnaturus est vobis & c. jura Regis h. e. potestas legitima non Tyrannica, nec violenta, sed que Dei confirmatione Regem decet.* Et Rabbi Jose ait: כֹּל הָאֲמֹר בְּפִרְשֵׁי הַמֶּלֶךְ מֵוֹתֵר בּוֹ h. e. quicquid i. Sam. 8. *de Rege recenserur, illud ei licitum est.* Nec est, quòd cum Friedlibio lib. 1. *Theol. Exegit. obs. ad lib. 1. Sam. quest. 39.* distinguamus inter regnum constituendum & constitutum, ut dictum Samuelis loquatur de regno constituendo, non de constituto. Dicit enim Samuel I. cit. hoc esse jus Regis, & quòd Rex mala illa, quæ ibi referuntur, sit illaturus populo; ubi autem est Rex, ibi Regnum jam dum est constitutum; implicat enim contradictionem, Regem esse vel aliquid facere, cum tamen Regnum adhuc sit constituendum. Neq; adstipulari possumus Rabbi David Kimchi, qui *Comment. in 1. Reg. 21. v. 10.* sic inquit! יש לשאול אחאב למה לא היה לוקח זה הכרם במשפט המלוכה שהרי כתיב את שדותיכם וכרמיכם וזיתכם הטובים יקח התשובה כמו שפירוש בספר שמואל כי אין ממשפט המלוכה שיקח

שוקח אלא הפירות לצורך עבדיו ואנשי מלחמתו אם יצטרכו
 והראיה שאמר ונתן לעבדיו ולנתן אמר שוקח לעצמו זראיה
 עוד שאמר שדותכם כדמיכם מזויתכם ולנתן אמר
 כתיבם משמע כי על פירות אמר לנתן על גוף הקרקע:

h. e. Queritur cur Achabus vineam non sumpserit vi Juris Regii: Dicitur enim, Agros vestros, vineas vestras & oliveta vestra optima tollet: Respondeo, quemadmodum & ad 1. Sam. cit. exposui, non esse juris Regii, nisi fructus sumere, quibus scilicet opus habet, ad alendos suos servos & milites. Ratio est, quia dicitur; Servis suis, non sibi ipsi: Altera ratio est, quia dicitur agros vestros, vineas vestras, oliveta vestra, non domus vestras. Unde sermo est ei de fructibus, minime v. de fundo & bonis immobilibus. Ad quod accurate satis respondet Joh. Frischmuth in eleganti suo tractatu de Rege Elig. & Deponendo §. 109. his verbis: Non sermo erat Prophetæ de eo, quod in necessitatis casu Rex facere posset, (sic enim nihil terribile proposuisset, cum & inferiori Magistratui sic liceat publicæ utilitatis causâ quædam præripere) sed quid Rex facere possit על רלוו ipsi incessat cupiditas? Fallitur sanè ipse Kimchi, qui, quòd domorum auferendarum non esset facta mentio, censuit bonorum mobilium capiendorum jus stabiliri; meminit servorum, eò quòd illorum, non aliunde quàm subditorum bonis alendorum, ingens sit futura copia; Meminit item vinearum & agrorum, silentio prætermisissis domibus, non quòd & has non sint ablaturi, sed quòd vellet quædam saltem eis proponere, & inter illa omnium gravissimam servitutem, ut intelligerent multa alia Regem excogitare posse onera. Sunt & quidam, qui asserunt, fuisse jus concessum tanquam bonum, non quidem simpliciter bonum, sed respectu Judæorum contumacium, quos tyrannicè gubernari expediebat in perpetuam eorum pœnam & correctionem. Sed nec his assentum nostrum simpliciter præbere possumus, secundum illud Hugonis Grotii, qui lib. 1. d. I. B. & P. cap. 4. n. 3. sic ait: Quod apud Samuelem est de Jure Regis, omninò recte inspicienti apparet, nec de Jure vero intelligendum, id est, de facultate honestè & justè aliquid agendi (longè enim alia vivendi ratio præscribitur Regi in ea parte legis, quæ est de officio Regis) neque nudum factum indicari, nihil enim esset in eo eximum, cum injurias facere etiam privati privatis soleant; Sed factum, quòd effectum aliquem juris habeat, id est, non resistendi

obligationem. Idem confirmat in *Comment. ad Testam. Vet. pag. 218.* & in tractat: *d. imp. summar. potest. circ. sacra pag. 51.* Salmasius in *defension. regim. pag. 40. & seqq.* Videbimus itaque, Annon aliâ ratione hæc charybdes effugere possumus: contendimus itaque voculam משפט complures habere significationes; ut non tantum denotet jus & justum iudicium, sed præterea interdum idem significare, quod mos & consuetudo. Vid. *Lexic. Pentagl. Val. Schindl. in voce שפט & Lex. Hebr. Buxtorff.* Sic enim sumitur *Levit. 5. v. 10.* Faciet holocaustum במשפט juxta morem, seu ut fieri solet: Secundum versionem vulgatam, & *Varabli & Gen. 40. v. 13.* & porriges calicem במשפט quod Targum vertit כהלכתו juxta consuetudinem. Item *Exod. 21. במשפט הכנות* Targum vertit: כהלכתו juxta morem filiarum Israel. *Judic. 18. v. 6.*: habitans secure: במשפט צירנים Targum כהלכתו juxta consuetudinem Zidoniorum. Hic autem hanc vocem ita usurpari, inde patet, quia populus petiverat à Samuele talem Regem sibi dari, qualem habebant aliæ gentes *1. Reg. 8. v. 5.* Constitue nobis Regem, ut judicet nos, sicut & universæ habent nationes. Et *infra v. 10.* Rex erit super nos: & erimus nos quoque sicut omnes gentes. Itaque Samuel volens eos deterrere ab hac petitione (quâ graviter Deum offendebant) prædixit illis morem gubernandi Regum gentilium, ut eo audito mutarent sententiam. Fuit autem ille mos pravus & illegitimus, ac malè usurpatus; Sed tamen à Samuele propositus, per modum prædictionis, non approbationis. Prædixit enim, si Judæi peterent sibi Regem dari, fore, ut Rex abutatur suo jure & redigat ipsos secundum morem Regum gentilium in servitutem. Hæc sententia uti verior est, ita eam multi sequuntur, uti *Div. Thom. in 1. 2. qu. 105. art. 1. ad 5.* *Serarius 1. Reg. 8.* *Turniellus in Annalibus Anno mundi 2959. n. 3.* *Azor. 2. p. Instit. Moral. lib. 11. cap. 4.* *R. David Kimchi in lib. Radic.* *R. Abravanel ad 1. Sam. 8.* & plurimi alii. Quorum omnium sententia in hoc ferè redit, ut hujus dicti sensus sit: Reges vestri sequentur consuetudinem Tyrannorum Ethnicorum redigendo vos in servitutem & vestra iniquè diripiendo, quia Samuel non absolutè ait: & indicabis eis morem administrandi Regis; sed cum addito: qui eis imperaturus est. Quasi dicat Rex ille: cuius desiderio vos tenemini, utetur hac consuetudine; quod etiam factum est à Salomone, Roboam, Achab. &c.

XIV. Jure belli res hostium licite capi possunt: Et quidem jure naturali bello justo ista nobis acquiruntur, quæ aut paria sunt, & quod, cum nobis sit debitum, aliter consequi non possumus, aut quæ nocenti damnum inferunt, intra æquum pœnæ modum. Hoc jure Abrahamus de spoliis, quæ à quinque Regibus acceperat, decimam Deo dedit, ut historiam, quæ exstat *Gen. 14.* explicat Divinus Scriptor *ad Habros 7. 4.* Quo more Græci quoque Carthaginenses, & Romani Diis suis, ut Apollini, Herculi, Jovi Feretrio, decimam de præda sacrarunt. Inter hos terminos naturales probatum à Deo jus prædæ, aliis locis apparet. *Deut. 20. v. 14. Par. V. 20. 21. 22. 2. Paral. XIV. 13. Jos. XXII. 8.* Et exstant Divinæ leges de præda dividenda. *Num. XXXI. 27.* Jure Gentium voluntario, non tantum is, qui ex justâ causâ bellum gerit, sed quivis in bello solenni, sine fine modoque, dominus sit eorum, quæ hosti eripit, eo nimirum sensu, ut explicat *Grot. d. J. B. l. 3. c. 6. n. 2.* ut à Gentibus omnibus & ipse, & qui ab eo titulum habent, in possessione rerum talium sint tuendi, quod dominium quoad effectus externos licet appellare. Verum ut jure belli res aliqua nostra fiat, requiritur, ut hostium fuerit; quæ enim res apud hostes quidem sunt, puta in oppidis eorum aut intra præsidia, sed quorum domini, nec hostium sunt subditi, nec hostilis animi, ex bello capi & acquiri non possunt. *Grot. d. c. 6. n. 5.* ubi notat *n. 6.* illud, quod dici solet, hostiles cenferi res in hostium navibus repertas, non ita accipi debere, quasi certa sit juris Gentium lex, sed ut præsumtionem quandam indicet, quæ tamen validis in contrarium probationibus possit elidi. Atque ita in Hollandia, Anno 1338. flagrante cum Anseaticis bello frequenti Senatu adjudicatum fuisse, & ex judicato in legem transisse. Autor *Jur. Feacial. sive juris inter Gentes part. 2. sect. 8. qu. 5.* Quæ igitur res hostium non sunt, licet apud hostes reperiantur, capientium non fiunt; id enim juri naturali non congruit, nec jure Gentium introductum; si verò in illis rebus hostis aliquod jus habeat, puta, pignoris, servitutis, retentionis, id quod minus capientibus acquiratur, nihil obstat. *Grot. d. c. 6. n. 26.* Verum enim verò, nec peccato vacat, aut à restitutionis onere immunis cenferi debet, rerum hostilium in bello justo captura. Si enim spectemus, quod rectè ac salvâ & illæsâ conscientia fiat, non licitum est ultra capere, quam causa subest debendi in hoste, excepto eo, quod etiam extra eam ad securitatem necessariam, res possint detineri, sed restituenda. Gr.

dx. Gr. d. J. B. & P. l. 2. c. 2. n. 10. & l. 3. c. 13. n. 1. Hoc igitur est jus quoddam, capiendi sine acquirendi jure. Quia verò nobis aliquid deberi potest aut ob inæqualitatem rerum, aut ex pœna, ex utrâque hâc causa potest acquiri res hostilis, hoc tamen discrimine; ex priore enim debito non tantùm res ipsius debentis, sed & subditorum ejus, ex introducto jure Gentium quasi fidejussione obligantur. Grot. d. J. B. l. 3. c. 3. in altero verò debendi genere, quod pœnale est, Gentium consensu, tale jus in res subditorum proditum non esse confirmat. Grot. d. J. B. l. 3. c. 13. n. 2. qui (num. seq. 3.) sic accipiendum esse statuit, quod scribunt Theologi quidam, capta nimirum in bello non compensari cum debito principali; intelligendum enim hoc, usque dum secundum sanum judicium satisfactum sit de eo damno, quod in ipso bello datum est; Sic etiam temperamentum in bello circa vastationem rerum hostilium adhibendum. Nam ut propter pecora abacta, aut domus aliquas incensas, totum regnum vastetur, æquitas non fert. Victoria d. J. Belli n. 52. & 56. Abstinendum itaque à Vastatione, si res nobis fructuosa sit & extra hostis potestatem, quò spectat propriè lex divina, quæ in vallum, bellique opera vult impendi arbores feras, frugiferas verò asservari in victum, additâ hâc causâ, quòd non ut homines, ita & arbores adversum nos in prælium assurgere possint. Deut. 20. vers. 10. Si quando accesseris ad expugnandam Civitatem, primò offeres ei pacem, quam si acceperit & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est &c. quem locum explicat. Johan. Selden. d. I. N. G. juxt. disciplin. Ebræor. lib. 6. c. 12. p. m. 729. & seq. Nos docet sacra historia, urbes quasdam à Deo damnatas excidio; etiam contra legem illam generalem arbores Moabitarum jussas extinci. Ios. 6. 2. Reg. 3. v. 19. Verùm id non factum odio hostili, sed in justam detestationem facinorum, quæ aut publicè erant cognita, aut Deo judice tanti æstimata. Grot. d. I. B. l. 3. c. 12. num. 2. in f. ubi adhuc alia temperamenta suppeditat ad tranquillandam conscientiam, inprimis in illis, quæ sacris usibus sunt destinata, licèt enim jure Gentium impunè sacra violentur. Grot. d. I. B. l. 3. c. 5. attamen, si nullum inde periculum sit, conservari talia ædificia, & quæ iis accedunt, suadet rerum divinarum reverentia, inter eos maximè, qui eundem Deum ex eadem lege colunt, etiamsi fortè sententiis quibusdam aut rationibus dissideant? idem de religiosis & de iis, quæ in honorem mortuorum structa sunt, intelligendum, quæ non nisi contentâ

contemtâ humanitate, violari possunt. H. Grot. *d. J. B. & P. l. 3. d. c. 12. n. 7.* Denique illud hîc de jure belli addendum, licere illi, qui pium bellum gerit, locum occupare, qui situs est in loco pacato, si non imaginarium, sed certum sit periculum, ne hostis eum locum invadat, & inde irreparabilia damna det, & si nihil sumatur, quod non ad cautionem sit necessarium, puta, nuda loci custodia, relicta domino vero jurisdictione & fructibus; postremò si id fiat animo reddendæ custodiæ, simul atque necessitas cessaverit. Grot. *d. J. B. & P. l. 3. c. 1. n. 2. & l. 2. c. 2. n. 10.* Autor jur. Fezial. *part. 2. sect. 6. qu. 9.* Marcus Zuer. Boxhornius *in disquis. Polit. cas. 30.* ubi judicium de casu proposito elegans refert. *pag. m. 127.* Cùm que aliena pariter & nostra partim pro Gentium & Reipublicæ causâ sunt, eo, quo dictum est, modo vicinorum, quanquam amici sint, agros & oppida posse occupari arbitramur, non in eorum noxam, sed pro defensionis nostræ necessitate. Aliena autem & nostra pariter sunt, quæ necessitatem ex jure Gentium, quæ necessitatem ex oblato casu, quæ denique innoxiam utilitatem in se complectuntur. Necessitas ex jure Gentium est, ut commercia, matrimonia; ac proinde Romani meritò vicinorum, quanquam nolentium matrimonia sibi vendicavere. Ex oblato casu Necessitas est, ut transitus per agrum vicinum, qui ad eò negari non potest, ut armis justissimis pandi possit & aperiri. Innoxia utilitas est, quæ communicari nobis à vicinis cupimus, & meritò cupimus, quæ uti utilia nobis; ita cum nulla vicinorum noxa sunt conjuncta. Iniquum est, inquit Tullius, alteri negare, quod tibi nocere non possit. Quod ad eò verum est, ut ne quidem hostibus debeat denegari. Et ejusmodi beneficia ne quidem beneficiorum nomen mereri, Seneca est professus. Datâ igitur ex oblato casu necessitate, in loco pacato exstrui arces possunt aut occupari. Denique Magistratus est omnia tuta timere. Itaque quicquid in vicinorum agro hostes possunt, quo noxa nobis queat inferri, idem nobis licitum est. Respublica enim, se foris lædi possit, non domi tantum, sed foris etiam debet jvari. Aliàs à pacatis, qui extra bellum sunt positi, nihil sumendum, nisi summâ necessitate cum restitutione pretii. Moses, cùm summa ipsum & populum necessitas urgeret, transeundi per agros Idumæorum, primum ait, se transiturum viâ Regiâ, neque deflexurum in arva aut vineta, si quâ re ipsorum haberet opus, persolaturum se ejus pretium. Num. 20. 21. Grot. *d. J. B. l. 2. c. 2. n. 13. & lib. 3. c. 17. n. 2.* Accedit magni

H

Prophæ-

Prophetæ, imò Prophetâ majoris monitum. *Luc. 3. 14. A concussione, à calumnia in quosvis abstinere, contenti estote stipendiis vestris*, ubi vox illa calumnia potest verti rapina, quo sensu ea vox sumitur in Græcâ versione. *Job. 35. 9. Ps. 118. 121. Prov. XIV. 33. XXII. 16. CXVIII. 3. Eccles. 4. 1. Lev. 19. 11.* Eandem Græcam vocem, per defraudare vertit Vulgatus Interpres *Luc. 19. cap. versu 8.* Quod non moneret Vir Divinus, si crederet, impleri non posse. Et verissima est Theologorum sententia, Regem, qui, quæ debet stipendia, militibus non solvit teneri de damnis inde secutis, sed & subditis suis & vicinis, quo in edâ coacti milites male habuerunt. *Grot. d. 7. B. l. 3. c. 17. n. 2. in f. Egidius Regius d. act. supernat. disp. 31. dub. 7. n. 95.* Rectè quoque à Theologis traditum est, si quis miles aut alius, etiam in bello iusto, ædificia hostium incenderit, agros vastaverit, atque id genus dederit damna non iustus, nec cum necessitas subesset neque iusta causa, teneri eum ad refarcienda damna. *Sylv. in verb. bellum p. 1. Grot. d. 7. B. lib. 3. c. 18. n. 6.* Sed quid statuendum de iis, quibus loco mercedis concedi solet, ut capta sua faciant? Eripi potest hosti possessio rerum, quæ bellum alere possunt securitatis causâ, sub onere tamen reddendi, dominium verò ad compensationem usque ejus, quod aut ab initio belli, aut ex post facto Civitati iustum bellum gerenti debetur, sive sint res Civitatis hostilis, sive singulorum etiam per se innocentium. Res itaque hostiles sunt eorum, qui belli partem suo sumtu administrant quod hostes attinet, ut tamen iustus modus non excedatur, adversus suam autem civitatem id iustum erit iustitiâ internâ, si contractui æqualitas infit, hoc est, si sumtus & pericula tanti sint, quanti prædæ alea. Verùm, ut rectè monet. *H. Grot. d. l. n. 4.* licèt iustitia strictè dicta non lædatur, est tamen ut peccetur contra regulam Christianæ charitatis, ut si appareat, ralem prædationem præcipuè nocituram, non hostium universitati aut Regi, aut his, qui per se fontes sunt, sed innocentibus, adeò, ut Ios sit detrusuras in summas calamitates, in quas etiam illos, qui privatim nobis debent, conjicere immisericordiæ foret, aut si excedat, ut illa deprædatio nec ad finem bello imponendum, nec ad publicas vires hostium accendendas notabile aliquod momentum habeat, homine Christiano indignus censeri debet quæstus ex sola temporum infelicitate.

XV. Porrò jus Dominii & proprietatis *Grot. d. 7. B. l. 2. c. 2. n. 6.* communem ferè Scholasticorum sententiam secutus, vult intelligi cum duplici

duplici temperamento æquitatis, sive cum duplici exceptione necessitatis, & innoxie utilitatis, prius jus egenorum nonnulli vocant, & arbitratur Grotius, hoc in casu spectandum esse, quæ mens eorum fuerit, quæ primi dominia singularia introduxerunt, quam talem fuisse credendum, ut quàm minimum ab æquitate naturali recesserit, additâ hâc ratione; quod scriptæ etiam leges in eum sensum trahendæ sint, quatenus fieri potest, multò magis mores, qui scripturæ vinculis non tenentur, hinc concludit in gravissimâ necessitate reviviscere jus illud pristinum rebus utendi, tanquam si communes mansissent, quia in omnibus legibus humanis ac proinde etiam in lege dominii summa illa necessitas videtur excepta. Grot. *d. f. B. l. 1. c. 4. n. 7. in pr. & l. 2. c. 2. n. 6. l. 3. c. 23. n. 5.* Hæc itaque quæstio se offert: Utrum extrema indigentium necessitati cedat ex jure naturali dominium privatorum? ita ut in res proprias jus hominibus competat eis utendi tempore necessitatis? Inter Theologos recepta sententia, quod in tali necessitate, si quis quod ad vitam suam necessarium sumat aliunde, eum furtum non committere. Div. Thom. 2. 2. *quest. 66. 7. Didac. Covarr. cap. Peccatum p. 2. §. 1. Soto lib. 5. qu. 3. art. 4. Leonhard. Less. d. f. & l. 1. 2. cap. 12. d. 12. Andr. Rivet. in explic. Decal. p. 362. 363. Zoes. Vallens. ad tit. 10. d. Furis. Fransk. t. 2. var. resol. 7. n. 33. Guil. Grot. d. pr. jur. nat. c. 13. n. 10. cujus definitionis non hanc causam esse tradit. Grot. d. l. B. d. c. 2. n. 6.* quam nonnulli adferrunt, quod res Dominus ex charitatis regula rem egenti dare teneatur, sed quòd res omnes in dominos distinctæ, cum benignâ quâdam receptione primitivi juris videantur. Nam si primi divisores interrogati fuissent, quid de ea re sentirent, respondiissent, quod dicimus; Verùm quòd Grotius adfert de reviviscente pristino jure rebus utendi, tanquam si communes mansissent, illud adsertum, destructâ ante falsâ hypothesi nixum, mole suâ corruit; Neque aded necessitas res privatorum communes facit. Tale namque communionis jus imaginarium est, nulloque nititur veritatis fundamento, res enim semel mihi acquisitas, sine meo facto & voluntate alii nullo jure communicare cogor. *l. quod nostrum ff. d. R. I. Nov. 89. præfat. ubi dicitur, necessitatem quidem curandum esse, sed ita, ut evitetur quod malum est. Thabor. in Racem. Crim. 3. n. 36. & ad art. 66. Nemes. Carolin.* Hæc itaque sententia nobis non omninò probatur, quin potius inter Crimen & pœnam distingvendum arbitramur, ut crimen com-

mitti etiam urgente penuriâ fateamur, pœnam tamen propter necessitatis vim delinquenti aut remittamus aut certè mitigemus. Quis enim persuaserit homini intelligenti, lucri faciendi animum non habere eum, qui deficiente annonâ, cibum alteri subtrahit, cùm manifestum sit ipsum illum cibum ab eo lucrifieri? Nec est, quod quis necessitatis vim obtendat ad furti invidiam prorsus eluendam, cùm viro sapienti atque bono nulla tantavis inferri possit, ut sciens turpitudine aliquâ se contamine; & in huiusmodi casibus, ut Cic. 3. off. sentit, *suam cuique incommodum ferendum sit potius, quàm de alterius commodis quidquam subtrahendum.* Anth. Matth. d. Crim. pag. 7. Dn. Ziegler. in not. ad Grot. lib. 2. c. 2. §. 6. Et, quod ait Grotius, in omnibus legibus humanis esse exceptam summam necessitatem, id restringendum ad leges merè Civiles & positivas, non verò accipiendum de iis, quæ sunt partim naturales partim Civiles. Et quod adfertur ex l. 2. §. cum in eadem ff. ad L. Rhod. d. iactu, ejusmodi est, ut ad rem præsentem parùm faciat. Fatemur enim, publica utilitate urgente, quod quisque frugum domi flagellat, id eum ad annonæ subsidia conferre debere; negamus verò singulis indulgendum, ut suo arbitrati auferant quod sibi desit, publica id autoritate magistratuum faciendum est, quæ quando non intervenit, furtum faciet, quisquis de alieno pasci volens, fraudulenter aliquid subtrahit, & hoc etiam ab ipsis navigantibus observari, notat Ant. Matth. d. Crim. pag. 71. ut deficiente comœatu, gravissimè expilatorem panarii puniant; & refert exemplum memorabile ex annal. Everb. Rheid. Belg. lib. 17. *Roterodamensium naves quinque Anno Salvatoris clō Io XCVIII. per occidentem in Indos orientales navigature, cùm diu in faucibus maris Magellanici basissent, tanta panis inopia laborare cœperunt, ut cum parcissimè divideretur, nonnulli panario manum admoventes suspensi fuerint; Vni reliquorum intercessione vita donata, sed cum is idem paulò post in eodem peccato deprehensus esset, laqueo gula fracta est.* Rectè itaque distinguit Dn Bœcl. in not. ad Grot. l. 2. c. 2. pag. 66. inter id, quod licet facere iustitia interna, & quod impunè licet facere, sive inter factum, quod iure defenditur, & id cui pœna decerni non solet, si quis ita dicat, furtum non committi ab eo, qui in necessitate aliena surripiat, quatenus furti in plena perfecta vitiositate invidiam ad mitiora vocabula transferri ratum est, non sit culpandus. At jus verum & plenum in faciente agnoscere, & dicere,

cere,

cere, quod ita aliena surripieus, suo iure usus sit, imo addere quod dominum rei suæ impedire volentem, servato moderamine inculpatæ tutelæ occidere poterit, (uti statuit Leslius *d. I. & I. lib. 2. c. 12. dub. 12. num. 69.*) id verò periculofam facit Philosophiam vid. Dn. Felden *ad Gr. d. c. 2. §. 6. ibi: Non igitur fortasse furtum non committitur, eum scienter & ex consilio homines faciunt necessitate famis adacti, à pana tamen excusantur, quia ex tali adfectu faciunt, cui resistere humana ratio nequit.* Dices, contrectationem hoc casu planè licitam esse, cum fiat non invito Domino, quia Dominus tenetur consentire contrectanti, siquidem is iure suo alatur. Respondemus negando, contrectationem fieri volente Domino, non enim ille tantum, qui expressè contradicit, sed etiam is, qui consensisse non probatur, invitus dicitur. Tabor. *in Racem. crim. d. 1. & licet concedamus, dominum invitum in tali casu contra dictamen rectæ rationis repugnare, & in legem Christianæ charitatis graviter peccare, in sacris enim Pandectis præceptum est, ut esurienti panis frangatur, & nudo vestimentum præbeatur, Deut. XIII, 11. Esai. XXXVIII, 7. Prov. IX, 7. Eccl. XI, 1. & seqq. Ezech. XVIII, 7. Sirach. XXIX, 12. & XIII, 2. 6. Tob. IV, 7. Matth. XIX, 21. ibique Grot. in annot. pag. 335. & seqq.* Quo pertinet parænesis moralis & Parabolica Ambrosii *in can. sicut. 11. 8. distinct. 47. ibi: Non minus est criminis habenti tollere, quam cum possis & abundes indigentibus denegare: Esurientium panis est, quem tu detines, nudorum indumentum est, quod tu recludis &c.* Exinde tamen concludi nequit, quod egenti competat jus Domino rei suæ invito id auferendi, quod ex solâ charitatis lege debetur. Illud enim, quod quis debet, non ex iustitiâ propriè dictâ, sed ex virtute aliâ, puta, liberalitate, gratiâ, misericordiâ, dilectione, id in foro exigi non potest; Ad hoc enim non sufficit, ut id quod postulatur, sit ex morali ratione faciendum, sed præterea opus est, in nobis; jus quoddam ad illud competens, quale jus interdum leges Divinæ & humanæ dant, etiam circa debita aliarum virtutum, quod cum sit, nova tunc debendi ratio accedit, quæ jam ad iustitiam pertinet, Grot. *d. I. B. l. 2. c. 22. n. 16.* Eleganter Seldenus *d. I. N. G. juxta discipl. Ebræor. lib. 6. cap. 6. p. 702.* probat, ab ipso juris naturæ autore Deo profluxisse, ut dominium privatum nequaquam cedat extremæ alterius necessitati. Unde Hebræorum sapientes nullatenus permiserunt pauperibus suis utcunque in necessitatem reductis, quicquam ex alieno sibi sumere, sed rogando

gando tantum accipere aut à privatis aut à publicis Eleemosynæ exacto-
ribus. Objici solet textus *Deut. XXIII. v. ult. & pen.* ubi concessum
est, ire in proximi vineam & uvam decerpere, vel in agro alterius sege-
tem vellicare; sed Chaldæus Paraphrastes, ita vertit, si mercede condu-
ctus fueris in vineam fratris tui; &c. ut sermo sit de vindemiatoribus. Et
si ex aliorum sententia textum illum in generaliiori significato accipere
velimus, ille non tam erit juris Divini naturalis, quàm civilis positivi E-
bræorum: sicuti quilibet Dominus distributioni aut donationi rerum sua-
rum, modam aut conditionem adponere potest, quam accipiens accepta-
re tenetur. Ita etiam Deus, factâ promissione terræ Canaan, occupationi
ac divisioni ejus populo Israelitico modum hunc adjicere, & ut amorem
in proximum suum in ipso excercerent, voluit, Dn. Fritz. *disp. inaug. d.*
Præf. necess. contra legem, conclus. 2. Quomodo verò is puniatur, qui ne-
cessitate famis coactus furtum committit, vid. Carpz. *Pr. Crim. part. 2.*
qu. 83. n. 42. & seqq.

XVI. Alterum temperamentum domini privati ponit. Grot.
d. I. B. l. 2. c. 2. n. 11. quod est utilitas innoxia. In beneficiis verò collo-
candis spectanda est communitas, quæ cum non una sit ex Artic. 8. *Ni-*
com. c. 9. quædam repetemus, qui ita progreditur: Ubi est societas, ibi est
communio bonorum; ubi est bonorum (addere licet & officiorum) com-
munio, ibi est amicitia; ubi est amicitia, ibi est jus. Cum verò societa-
tes non sint unius generis aut propinquitatis, hinc porrò colligimus;
qualis est societas, talis est communio bonorum; qualis & quanta est
communio bonorum, talis & tanta est amicitia; qualis & quanta fuerit
amicitia, tale ac tantum erit jus & obligatio. Prima & universalissima
societas & conjunctio humana est hominum quæ hominum, seu universi
generis humani, cujus vinculum est ratio & oratio; Illa data est, ut san-
cta illa societas sanctè, honestè, secundum rationis rectè informatæ re-
gulas coli posset: Hæc data est, ut societas inter homines esse & conser-
vari posset. Oratio, inquit *Arist. 1. Pol. 2. p. m. 7.* est inventa ad declaran-
dum, quod prodest & obest, nec minus justum & injustum. In hac u-
niversalissima societate debet esse omnium rerum communio, pro cujus-
que hominis necessitate, quamvis enim ad ordinem & tranquillitatem
civitatum quàm maximè faciat, ut sint distincta etiam privatorum domi-
nia, rerum tamen nostrarum communicationem & usum crebrò relaxa-
re debet

re debet liberalitas, eò, quòd ad communissima hæc jura bonorumque communicationem, homo homini sit obligatus. Communia omnium hominum officia sunt, præstare illa, quæ danti non sunt molesta, accipienti utilia. Hinc illud esse dicit Cicero, Non prohiberi aquâ profluentem; *Quidni, inquit, quanto sine detrimento suo potest, alteri communit in illis, quæ sunt accipienti utilia, danti non molesta.* Hinc Juvenalis de Judæis hoc officium negligentibus, *non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti.* Licet enim peculiaris victus morumque ratio Judæis præscripta, familiarem cum cæteris hominibus consuetudinem vix pateretur, non tamen inde colligi deberet, extraneis non licuisse benefacere, si ve illud non esse laudabile aut rectum, uti posteriorum magistrorum præva interpretatio concludebat. Grot. in annot. in libros Evang. p. 130. & seqq. Ideo Seneca 4. d. benef. c. 18. beneficium negat dici posse, ignis accendendi, potestatem; Aliud enim est officium, aliud beneficium.

Quis vetat apposito lumen de lumine sumi,

Atque cavum vastas in mare servet aquas?

Inquit Ovidius, apud quem & Lycios Latona sic alloquitur: *Quid prohibetis aquas, usus communis aquarum est.* Grot. d. J. B. l. 2. c. 2. n. 12. & d. Mari libero c. 5. Dn. Rachel. in Comment. ad offic. Cic. p. 122. Horum officiorum communicatio semper fieri debet, & licet quilibet sibi suisque prospicere debeat, perpetuâ tamen obligatione (etsi non ubique æquè arcta) tenetur aliis, si ve privatim si ve publicè, aut si fieri possit, omnibus ut profit. Benè Plutarchus 7. Symposiacion. *Nàm neque alimenta nobis fas est perdere ubi ipsi plus satis habemus, neque fontem, postquam inde quantum libet potaverimus, obturare aut occultare, neque signa navigationis aut itineris abolere, quæ nobis usui fuerint.* Natura jubet hominem homini inservire. Unde natum est proverbium: *Homo homini Deus.* Hinc & illud Ambros. dist. 87. c. 14. *Non satis est bene velle, sed & benefacere.* Ratio est, quia cognationem quandam inter nos natura constituit. l. 3. ff. d. I. & I. Et ut ait Imperator Philosophus: Homo in id natus est, bene ut aliis faciat. Et oratorum Maximus Cicero 1. d. Offic. *Homines hominum causa, ait, esse generatos, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint.* Seneca d. benef. 4. c. 18. *Num quo alio tuti sumus, quàm quod mutuis juvamus officiis? hoc uno instructior vita, contraque incurisiones subitas munition est beneficiorum commercio.*

Qui ita-

Qui itaque illa denegat, quæ humanitati debentur, quæque sunt utilia iis, qui accipiunt, danti non molesta, quæ si quis neglexerit, Diris devoteatur, ut ex hoc loco discimus.

Nescis in Dirarum Carmine

Hoc esse, ni quis rectè monstrasset viam,

Ignem ni accendit, si quis aquas infecerit.

Diphil. Com. Parasit. vid. Guil. Grot. d. Princ. J. natura c. 8. Verum sicuti hîc natura & conditio ipsarum rerum attenditur, quæ ita sunt comparatæ, ut citra damnum aut injuriam unius alteri prodesse queant; ita in coeteris etiam rebus, quæ non sunt hujusmodi, communicationem aliquam, virtutis scilicet socialis opus requirit, ut homines in hoc naturam ducem sequantur, & communes utilitates in medium afferant, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, devinciant hominum inter homines societatem. Cic. 1. off. 7. sicut in ipsa liberalitate exemplum ponit. Quæ liberalis ac socialis communicatio non imminuit proprietatem & dominiorum discretionem, sed naturæ convenire ostendit, ut quisquis societatis (vel humani generis, vel civitatis, aliarumque conjunctionum) respectu, de propriis & suis in medium aliquod conferat, pro modo facultatis & conservandæ communitatis. Dn. Becl. in Gr. J. B. & P. l. 2. c. 2. §. 11. n. 69.

XVII. Jure naturali quoties id, quod meum nondum est, sed mihi dari debet, aut loco rei meæ aut mihi debitæ, cum eam ipsam consequi non possum, illud tantundem valens accipere possum ab eo, qui rem meam detinet, vel mihi debet: Justitia enim expletrix, quoties ad idem non potest pertingere, fertur ad tantundem, quod est morali æstimatione idem. Grot. d. J. B. & P. l. 3. c. 1. n. 2. & l. 3. c. 19. n. 15. & l. 3. c. 3. n. 6. ubi vocat hoc jus secundarium & surrogatum. Et quidem ex his causis dominium quoque sequi probatur à fine, quæ in moralibus optima est probatio: Nec enim juris mei explementum consequi poterò, nisi dominus fiam, frustra enim erit rei donatio, si ea uti pro arbitrio non poterò: Legibus quidem civilibus vetitum est sibi jus dicere. *l. extat. ff. quod met. caus.* adeo ut vis dicatur, si quis quod sibi debitum est manu reposit, & multis in locis jus crediti amittere dicitur, quî id fecerit *l. Creditor. l. fin. ff. ad L. Jul. d. Vi privat.* Imò etsi lex civilis directè hoc non prohiberet, ex ipsa tamen judiciorum institutione sequeretur,
hoc esse

hoc esse illicitum. Hinc rectè concludit Grot. *d. l. B. l. 2. c. 7. num. 2.* hoc locum habere, ubi judicia continua cessant, quod explicat *l. 1. c. 3. n. 2.* ubi verò momentanea est cessatio, licita quidem erit acceptio rei, puta si alioqui nunquam iterum recuperare possis, aufugiente fortè debitore, sed dominium à judicis additione erit exspectandum. Illud verò non facile concedendum, quod Grot. *d. 7. B. l. 2. c. 7. num. 2.* notat, quòd si jus quidem certum sit, sed non simul moraliter certum, ut per judicem juris explementum obtineri non possit, puta quia deficiat probatio, in hac etiam circumstantia cessare legem de judiciis, & ad jus rediri pristinum; in Judicio enim petitori incumbit onus probandi, ut probet rem, quam petit ad se pertinere, aliàs deficiente actore in probatione, reus est absolvendus, nec cogitur titulum suæ possessionis edere. *l. 11. C. d. Pet. hered. l. 9. C. d. Except. l. ult. C. d. Rei Vindic. §. 4. Inst. d. Interd. Marpurg. Vol. 1. consil. 9. n. 88. & seq. & Vol. 2. Consil. 30. n. 27. & seq.* Ubi itaque potest implorari officium judicis, jus naturale jubet & præcipit illius auxilio & ope id consequi, quod meum est, cùm, præsertim si prætextu juris naturalis quis velit rei alienæ manum injicere, judex intercessurus est, cui sine probatione juris quis satisfacere nequit. Aliud dicendum fuerit, si iniquitas Judicis, jus meum mihi tribuere nolentis re ipsa intervenerit. Grot. *d. 7. B. l. 2. c. 7. n. 2.* in annotatis adducit exemplum Ebræorum, qui in compensationem operæ res Ægyptiorum cœperunt, fretus autoritate Irenæi & Tertulliani id ad jus naturæ referentium. Verùm sacra Scriptura nos docet, illud esse factum speciali mandato & jussu Dei, qui supremum dominium in omnes res dominorum inferiorum & jura habet. Hic verò agitur de illo casu, quo quis sine autoritate judicis suum vindicat, atque factum Hebræorum huc non adeò bene accommodatur. Dn. Boecl. *in not. ad Grot. d. c. 7. Less. d. 7. & 7. lib. 2. c. 12. dub. 10.* affirmat licitum esse, rem suam aut sibi debitam, injustè apud alterum existentem, occultè recuperare, modò hæc conditiones adsint: prima est, ut moraliter certum sit rem tuam esse, vel tibi ex justitia deberi, si enim id esset dubium, non posses eam accipere, nam in dubio est melior conditio possidentis; similiter si non esset debita ex justitia, sed solùm ex gratitudine. Secunda est, ut non possis eam alià ratione recuperare, vel certè non absque notabili molestia vel expensis: Tertia, ut non accipias rem aliquam apud debitorem depositam, sed tuam, vel tui

vel tui debitoris, nam compensatio fieri debet ex bonis debitis, quæ in ejus sunt dominio. Quarta, ut absit periculum scandali vel infamiæ, ne tanquam fur puniaris, vel habearis. His observatis licetè putat fieri, quod supra monuit. Ex quibus porro elicit, si is qui justè accepit, rogaretur à judice, num sciret quis acceperit, vel an ipse non acceperit, posse negare se scire, etiam cum juramento mente intelligendo, se nescire, quis ita acceperit, ut judex intendit, nempe injustè. Verùm ut rectè statuit Dn. Boecl. *in not. ad Grot. l. 2. c. 7. p. 245.* adversus judicis potestatem, quæ in civili vita Architectonica est, æquivocationes & mentales restrictiones admittere, ipsiusque jurisjurandi sanctimoniam & simplicitatem hoc artificio, ut vocant, eludere; id verè est & divini judicii & humani divino subordinati autoritatem convellere; vel ut docet Grot. *d. J. B. l. 3. c. 1. n. 19.* omne jusjurandum, sive id assertivum sit, sive promissivum, vim habet excludendi omnes exceptiones, quæ ex persona ejus, qui cum agimus, peti possent; quia non cum homine tantùm sed & cum Deo res est, cui per jusjurandum obligamur, etiamsi homini jus nullum nasci posset: Et non sicuti in alio sermone, ita in jurato, ut à mendacio excusetur, admittuntur interpretationes verborum, quamvis non planè inusitatæ, sed omninò requiritur veritas in eo sensu, quem homo exaudiens intelligere fide optimà existimatur: Ut plane detestanda sit illorum impietas, qui, ut pueros talis, ita viros jurejurando fallendos asserere non dubitabant. vid. Grot. *d. J. B. l. 2. c. 13. n. 3.* & Joh. Malder. Episc. Antverp. SS. Th. quondam Lovanii Professoris *tract. d. Restriction. mental. abus. cap. 4.*

XVIII. Improbum est, inventionis titulo sibi vindicare ea, quæ ab alio tenentur, etiamsi is, qui tener, sit improbus, de Deo malè sentiens aut hebetis ingenii: Nam inventio est eorum, quæ nullius sunt. Victoria *de Indis noviter Inventis relect. l. n. 31.* Nec ad dominium requiritur aut virtus moralis, aut religiosa, aut intellectus perfectio; uti hoc probat Grot. *d. Mar. lib. C. 2.* exemplo Indorum, qui, cum ad eos Lusitani venerunt, partim Idololatæ, partim Mahumedani erant, gravibus peccatis involuti, nihilominus publicè atque privatim, rerum possessionumque suarum dominium habuerunt, quod illis sine justà causâ eripi non potuit. Didac. Covarr. *in cap. Peccatum. §. 10. n. 2. 4.* ut validis rationibus, post alios autores maximi nominis concludit. Victoria *de Potestate Civili.*

Part. 1.

Part. 1. 119. Non possunt, inquit, Christiani Seculares aut Ecclesiastici, potestate civili & Principatu privare infideles, eo duntaxat titulo, quia infideles, sunt, nisi ab eis alia injuria profecta sit. Nam fides, ut rectè inquit D. Th. 2. 2. q. 10. art. 12. non tollit jus naturale aut humanum, ex quo dominia sunt profecta; imò, credere, infideles non esse rerum suarum dominos, hæreticum est, & res ab illis possessas illis ob hoc ipsum eripere, furtum est rapina, non minùs, quàm si idem fiat Christianis. Rectè igitur dicit Victoria de Indis part. 1. n. 45. 6. 7. & 19. non magis istà ex causà Hispanis Jus in Indos quæsitum, quàm Indis fuisset in Hispanos, si qui illorum priores in Hispaniam venissent. Quid dicemus de illis armis, quæ inferuntur populis aliquibus, eam ob causam, quod illi Christianam religionem sibi propositam amplecti nolunt? Duo hîc sunt notanda, prius est, veritatem religionis Christianæ, quatenus scilicet naturali ac primævæ religioni non pauca superaddit, argumentis merè naturalibus persuaderi non posse, sed niti historià tum resurrectionis Christi, tum miraculorum ab ipso & Apostolis editorum. Huc respicit Canon Concilio Toletani Cap. d. Judais, dist. 45. Præcipit sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferendam; Cui enim vult Deus miseretur, & quem vult obdurat. Alterum hoc est, Christo novæ legis auctori omninò hoc placuisse, ut ad legem recipiendam nemo hujus vitæ pœnis aut earum metu pertraheretur. Rom. VIII. 15. Hebr. II. 15. Job. VI. 67. Luc. IX. 54. Matth. XIII. 24. quo sensu verissimum est illud Tertuliani: Lex nova se non vindicat ultrore gladio. Grot. d. J. B. l. 2. c. 20. n. 48. & seq. Nec illud Luc. XIV. compelle intrare violentam aliquam coactionem notat, sed tantum invitantis sedulam instantiam. Et hæc sententia est vera Christi & Apostolorum. Tota enim primitiva Ecclesia prioribus seculis, cùm Apostolorum vox in auribus sonaret, licèt nisi sit verita Christianam fidem palam profiteri, nunquam docuit in officio Regum esse, aut Cæsarum, vi Christianam religionem propagare, ex adverso in omnibus monumentis ævi legere est, de non nisi sponte colendo Deo, & quod à religione abesse debeat omnis coactio: Nec aliter senserunt Christiani jam Cæsaris dignitate ad Christianos delatà. Div. Thom. 22. qu. 10. art. 8. dicit, Infideles, qui nunquam fidem receperunt, ad fidem non esse compellendos & art. 12. Liberos Judæorum talium infidelium, invitatis Parentibus non esse baptizandos, cujus sententiam plurimi alii

secuti sunt, inter quos & J. Mariana, Hieronymus Osorius, alter in Hispanios, *lib. 26.* alter *lib. 2. de vita Emanuel.* increpat Lusitanos, ob baptizatos Judæorum liberos, reluctantibus & reclamantibus parentibus. Quod si itaque aliquem invitum ad fidem compellere non licet, ex eo firmiter concludi potest, solius infidelitatis nomine non licere aliquem punire, vel bona alicujus auferre: Si enim illa potestas competit Regi, vel illa fluit ex jure naturali, vel divino voluntario, non ex illo, quia infidelitas non est peccatum pugnans cum civili societate, talia verò peccata sunt extra jurisdictionem civilem, quantum illa descendit ex jure naturali majestatis: Nec ex jure divino illa potestas competit, ut suprà probavimus. Omnis igitur Rex, qui prætextu infidelitatis cives suos poenâ afficit, facit iis injuriam, rationem facti aliquando Deo redditurus. Qui verò Christianismum docentes aut profitentes eam ob causam poenis subdunt, haud dubiè contra ipsam rationem delinquant. Nihil enim est in disciplinâ Christianâ (si ipsam per se consideramus, non quatenus ei infincerum aliquid admiscetur) quòd humanæ societati noceat, imò nihil quod non prosit, res ipsa loquitur & extranei coguntur agnoscere, uti probat Grot. *d. 7. B. L. 2. c. 20. n. 49.* In illos verò, qui Christi legem pro vera habent, sed de quibusdam, quæ aut extra legem sunt, aut in lege sensum videntur habere ambiguum, & ab antiquis Christianis non eundem in modum sunt exposita, dubitant aut errant, suppliciis qui grassantur, per inique faciunt: Si gravior sit error, & qui apud æquos judices sacrâ autoritate, aut veterum consensu facile possit revinci, cogitandum est, quantâ sit vis inolitæ opinionis, & quantum libertatem judicii minuat in suam cujusque sectam studium, malum, ut Galenus ait, quavis scabie insanabilius. Justus illi puniuntur, qui in eos, quos Deos putant, irreverentes atque irreligiosi sunt. Grot. *d. c. 20. n. 50. 51.* vid. Marc. Anton. de Dom. d. Republ. Eccles. *lib. 7. c. 8. & lib. 6. c. 8.*

XIX. Nunc excutiamus, ad quid teneatur in auditorio conscientie possessor rerum alienarum. Et quidem jure naturali ex rebus exstantibus hæc obligatio nascitur, qua tenetur is, qui rem nostram in potestate habet efficere, quantum ipsa est, ut in nostram potestatem veniat. Dixi notanter quantum in se; nec enim possessor rei alienæ obligatur ad impossibile, nec ad rem reddendam suis impensis, sed indicare tenetur, ut alter recipere suum possit. Introducto enim dominio hæc quasi so-

quasi societas contracta est, ut qui rem alienam in sua haberet potestate, eam Domino redderet. vid. Leonh. Less. *d. I. & I. lib. 2. c. 14. dub. 1.* Cajet. 2. 2. qu. 62. art. 6. nec consideratur hic, an bona an mala fide possessionem rei nactus sit, quia est alia obligatio ex delicto, alia ex re: Cum verò hæc obligatio, tanquam ex contractu universali omnes homines teneat, & jus quoddam rei domino pariat, eo fit, ut singulares contractus, quippe tempore posteriores exceptionem inde accipiant. Ex quibus lucem accipit illud Tryphonini in *l. 31. ff. depositi.* *Latro spolia, quæ mihi abstulit, posuit apud Sejum, inscium de malicia deponentis, utrum latroni an mihi restituere Sejus debeat? Si per se dantem accipientemque intuemur, hæc est bona fides, ut commissam rem recipiat is qui dedit: Si totius rei æquitatem, quæ ex omnibus personis quæ negotio isto continguntur, impletur, mihi reddenda sunt, quæ factio scelestissimo adempta sunt, Et probo hanc esse justitiam, quæ suum cuique ita tribuit, ut non distrahatur ab ullius personæ justiore repetitione, quod si ego ad petenda ea non veniam, nihilominus ei restituenda sunt, qui deposuit, quamvis male quæstia deposuit. Quod & Marcellus in prædone & fure scribit. Si tamen ignorans latro, cujus filio vel servorem abstulisset, apud patrem Dominamve ejus deposuit ignorantem, nec ex jure Gentium consistet depositum. Cujus hæc est potestas, ut alii non Domino, sua ipsius res quasi aliena servanda detur. Et si rem meam fur, quam me ignorante subripuit, apud me etiam, tunc delictum ejus ignorantem, deposuerit, rectè dicitur, non contrahi depositum, quia non est ex bona fide rem suam dominum prædoni restituere compelli. Sed etsi etiam nunc ab ignorante domino tradita sit, quasi ex causa depositi: tamen indebiti dati conditio competit. Depositum itaque ex jure Gentium latroni est restituendum, si dominus non apparet. Grot. *d. I. B. l. 2. c. 13. n. 15.* scilicet latrones homines sunt, communionem habent juris naturalis, ex quo nascitur, ut pacta servanda sint. Grot. *d. I. B. l. 3. c. 19. n. 2. & l. 3. c. 23. n. 2.* Si verò Dominus rem suam repetat, jus conventionis cedit juri dominii ex jure illo, quod ipsi dominio æquævum: veluti ad requisitionem illustri Regiminis Hennacensis, in Scabinatu responsum refert Richter *decis. 1. n. 8.* Unde etiam illud sequitur, quod apud eundem Tryphoninum est, ut qui rem suam ignorans depositam accepit reddere eam non teneatur: Et quod ibidem paulò ante quærebatur de bonis depositis, ab eo cujus bona erant publicata, hinc*

cata, hinc potius quàm ex eo quod de poenarum utilitate adfert Trypho-
 ninus, definiendum est Grot. *d. I. B. l. 2. c. 10. n. 1.* Notandum hic, quòd
 summa juris Naturæ præcepta, ex quibus demonstrationes sunt dedu-
 cendæ, maximam partem sint ejus conditionis, ut sint plerumque vera,
 non ubique aut semper, illaque principia seu leges naturæ sint propo-
 sitiones contingentes, ut plurimum, hoc est quarum prædicatum naturæ
 magis propendeat ad inesse subjecto, quàm non inesse, licet nonnun-
 quam aliter eveniat, idque fortè propter aliud quoddam naturæ præce-
 ptum ob singulares quasdam circumstantias intercedens, suamque auto-
 ritatem interponens. Hujusmodi generis propositionis sunt: Promissa
 sunt servanda; Depositum est reddendum; quibus si quis simpliciter in-
 hæreat, nullà habità ratione circumstantiarum, contra officium faciet:
 Nec enim furioso gladius depositus est restituendus. Grot. *d. J. B. l. 2.
 c. 16. n. 26. in f.* licet accesserit pactum & promissum furioso factum.
 Nec proditori Patriæ pecunia deposita reddenda, si illà in patriæ pernici-
 em sit abusus, ne tantum scelus adjuves, cujus impietatem lex naturæ
 damnat. Sic & illi juris naturæ principio: Fides & promissa sunt ser-
 vanda; nonnunquam urgente circumstantiarum ratione, non ita crudè
 inhærendum est; ita aliquando etiam veritatem prudenter dissimulan-
 dam esse, monet Cic. *lib. 1. d. off.* ceu fecerunt obstetrices Ægyptiæ, quæ
 eo ipso rem Deo gratam fecisse leguntur; Aliquando etiam à fide non
 solum recedere, sed & oportet. Grot. *d. J. B. l. 2. c. 11. n. 8. & l. 2. c. 16.
 num. 27.* Dn. Rachel *comm. in lib. Cic. d. offic. p. 536. & p. 84. & seqq.* Ut
 paucis dicam, ea sunt juris naturæ & ad illa sumus obligati, quæ per se
 conservant societatem humanam, & illa sunt omittenda, quæ isti nocent,
 ejusque fini adversantur. Si itaque quædam naturæ regulæ non sunt
 omni tempore veræ, ab iis tum demum recedendum est, si, ubi his stri-
 ctè inhæseris, majoris autoritatis præceptum aliud, aut ipsa sancta mor-
 talium societas, ejusque communis utilitas & salus sint violandæ.

XX. Diximus suprâ, possessorem rei alienæ jure naturali tene-
 ri ad rem yero domino restituendam. Ex hoc fonte illud deduci potest,
 quod ab Ulpiano est proditum. *l. rerum. ff. d. act. rer. amoe.* Qui rem
 alienam invenit, eum ita ad eam domino reddendam teneri, ut premi-
 um inventionis petere non possit. *l. 43. §. 4. ff. d. furt.* Inter Præ-
 cepta jubentia legis Hebræis datæ est, ut res inventa domino restituatur

Præcepto

Præcepto jubente 74. quod fundamentum habet tum in æquitate naturali, tum in Deuteron. 22. 1. Hieronymus ad Levitic. Multi sine peccato putant esse, si alienum quid inveniant ac teneant, & dicunt Deus mihi dedit; cui habeo reddere? Discant hoc peccatum simile esse rapinæ, si quis inventa non reddat August. Sermone 19. de verbis Apostoli: Si quid invenisti & non reddisti, rapuisti. Deinde qui alienum negat si possidet & tolleret. vid. Constant. L'Empereur d. LL. forens Ebraor. c. 9. §. 7. De rebus non exstantibus hoc humano generi placuit, ut, si ex re nostra quis sit factus locupletior, in tantum teneatur, in quantum est factus locupletior. Quibus duabus regulis rectè intellectis, non difficilis erit responsio ad eas quæstiones, quæ & à Jurisconsultis & à Theologis internum animi Tribunal instruentibus proponi solent. vid. Covarr. ad C. Peccatum part. 2. §. 1. Less. d. J. & J. lib. 2. cap. 14. Soto lib. 4. quæst. 7. art. 2. Sylvester verbo Restitutio. 3. qu. 6. 7. Cajet. 2. 2. qu. 62. art. 6. Groe. d. J. B. l. 2. c. 10. qui n. 9. tradit, rem alienam bonâ fide emtam restituendam, nec posse erogatum pretium repeti, quæ sententia probatur l. 2. C. d. furt. l. 3. l. 23. C. d. Rei. Vind. l. 16. C. d. Evid. Vincent. Caroc. tract. d. re furtiva penes tertium reperta. qu. 13. num. 1. 3. & 4. & quæst. 20 ibi, postquam emtori rei furtivæ ignorantia non prodest ad pretii recuperationem. Frantzk. Var. resol. lib. 2. resol. 9. Nec non in Carolinâ Constitutione illa sententia est approbata. P. H. O. art. 207. §. So dant cum art. seq. & art. 213. ubi constitutum, quod sit res restituenda ohne Beschwerung/ si verò pretium esset restituendum, non leve gravamen hic adesset, & art. 14. subjicitur, darumb soll derselbige/ der also das Seine wieder erlanget/ niemand schuldig seyn/ & idem jus in Judæos, qui in nonnullis locis privilegia prætendunt, est constitutum. N. H. Reform. guter Pollicey Augspurg de Anno 1548. tit. von Juden/ und ihrem Bucher §. F. daß dieselbe gestohene oder raubliche Haab und Güter denjenigen/ denen sie zuständig/ und dasselbige darthun und beweisen würden/ ohne allen Entgelde müssen wieder zugestellet und gefolget werden. Cum hisce juribus concordat jus Saxonicum l. 2. art. 36. Landrecht in verb. Spricht aber jener (possessor scil.) er habe es gekauft &c. so ist er/ der Käufer der Dieberey ohnschuldig. &c. Et postea: Seine Pfennige aber verfahren/ die er drumb gab/ und jener behält sein Gut das ihar gestohlen und abgeraubet war. Antequam

quam verò possessor ad restitutionem teneatur, incumbit Domino vindicanti rem suam, ut probet, furtum esse commissum, & rem sumtam ad se jure dominiū pertinere. *P. H. D. art. 207.* Et hæc sententia obtinet etiam, licet in tabernâ publicâ aut in foro vel publico mercatu quis rem furtivam bonâ fide emerit. *Joh. Wilhelm. Rœvenstrunck. d. redibit. judic. equest. cap. 2. num. 9. & seq.* & ita in Collegio juridico Jenensi Anno 1635. pronunciatum refert *Richter. decis. 96. num. 40. Frantzk. d. resol. 9. num. 68. & seqq.* imò licet res furtiva per mille manus ambulaverit, uti decisum à Colleg. Jurid. Jenens. & emtor in ipso contractu fuerit protestatus, quòd velit rem recuperare nomine ejus, cujus sit, restitutus refuso sibi pretio, *Moller. Semest. quest. lib. 3. cap. 10. Virgil. Pingizer quest. 49. num. 2.* illa enim protestatio interposita ab initio contractus non potest verò domino auferre jus suum, nec liberam facultatem vindicandi impedire. *l. 11. ff. d. R. Jur.* quod pluribus confirmat *Richter. d. decis. 69. num. 49. usque ad n. 94. Frantzk. d. resol. 9. num. 74. & seq.* Prædicta tamen regula ita est temperanda ac declaranda, quòd saltem sit intelligenda de vera venditione, vel permutatione, ubi formale aliquod pactum, vel aliud quid cum re vendita vel permutatâ proportionem quandam habens intervenit. Si verò fortè in accessu vel transitu alicujus Exercitus, vel aliquòt etiam Legionum, factis deprædationibus armenta, oves, equi & similia auferantur, ut propter periculum mactationis aut abactionis vix ulla spes esse possit illorum recuperandorum, modicoque aliquo, ut plerumque fit, redemptio fiat, pecuniam illam seu pretium redemptori restituendum esse recta ratio dicitur. *Frantzk. d. resol. 9. in f.* ubi ita in Ducatu Gotano peculiari sanctione constitutum, & hæctenus feliciter observatum refert *Grot. d. J. B. l. 2. cap. 10. num. 9.* qui tradit, *erogatum pretium non posse repeti, nisi quantum dominus rei sua possessionem sine dispendio aliquo probabiliter non potuit recipere, ut puta si res apud piratas fuerit; tunc enim deduci poterit, quantum dominus impensurus libenter fuerat.* Ipsa enim facti possessio, præsertim recuperatiu difficilis, est aliquid estimabile, & in hoc Dominus post rem amissam censetur factus locupletior. *Mevius ad Jus Lübec. lib. 4. tit. 1. art. 6. n. 11. & art. 10. num. 25. & 26. Cothman. Vol. 2. resp. 70. n. 28.* Quid si jure naturali tale impendium repeti potest, quidni & æstimatio laboris ac periculi, perinde ac si quis rem alienam in mari perditam

perditam eduxisset: *Apposita ad hanc questionem* (Grot. d. f. B. lib. 3. c. 16. n. 3.) *utitur historiâ Abrahami cum quinque Regum victor Sodomam rediret Genes. XIV. 16. וישב את־לח־רשב׃* ait Moses, Reduxit omnes illas res, nempe quas à Regibus captas superius narraverat: Nec alio referenda conditio Regis Sodomorum quam fert Abrahamo, ut captivos redderet, cætera sibi retineret pro labore & periculo. At ipse Abrahamus vir non pii tantum animi sed & excelsi, sibi quidem nihil voluit sumere: cæterum de rebus receptis (nam ad eas, ut diximus, spectat ista narratio) quasi suo jure decumam Deo dedit, detraxit sumtus necessarios, & sociis suis partem aliquam tribui voluit. & lib. 3. c. 9. n. 16. ubi probat, quòd illæ res, quas piratæ nobis eripuerunt, non opus habeant postliminio l. Latrones l. Hostes. ff. d. captiv. & post. rev. quia jus Gentium illis non concessit, ut jus dominii mutare possint. Itaque res ab illis captæ, ubicunque reperiuntur, vindicari possunt, nisi quòd ex naturali jure, ei qui suo sumtu possessionem rei adeptus est, tantum sit reddendum, quantum dominus ipse ad rem recuperandam libenter impensurus fuerat. Notat tamen Grot. d. l. num. 17. aliud posse constitui lege Civili, sicut lege Hispanicâ, naves à Piratis captæ eorum fiunt, qui eas eripiunt piratis. Idem & apud Venetos constitutum; Nec enim iniquum est, ut privatæ res publicæ utilitati cedant, præsertim in tanta recuperandi difficultate. Verum hæc lex non obstabit exteris, quò minus res suas vindicent, vid. Gentil. d. Advocat. Hispan. lib. 1. c. 12. 15. Autor *Juris Fecialis, sive juris inter Gentes Parte 2. Sect. 8. qu. 16.*

XXI. Sed quid dicendum, si quis bonâ fide rem alienam emit, an non possit eam restituere venditori, ut pretium servet? affirmant Navarr. cap. 17. num. 9. Silvest. V. Restitut. 3. & 7. Alexand. Halensis 4. p. qu. 86. membr. 3. art. 5. qui citat Hostiensem, quorum sententiam sequitur Leouh. Less. d. I. & I. in lib. 2. c. 14. dub. 3. Verùm contrariam sententiam tanquam veriore[m] venerat; quia ex quo res est in ejus potestate, cœpit obligatio restituendi. Grot. d. I. B. lib. 2. c. 10. n. 10. Cajetan. 2. 2. q. 62. art. 6. Sotus d. I. & I. lib. 4. qu. 7. art. 2. Didac. Cavarr. ad C. Peccatum part. 3. in initio & lib. 1. var. resol. cap. 3. n. 6. quam sententiam esse probabilem etiam fateri cogitur Lessius d. l. Et quia ex dominio nemo jus habet præter dominum, rectè ex eo elicitur, eum, qui rem habeat, cujus dominus ignoratur, non teneri naturaliter eam rem pauperibus

K

dare; li-

dare; licet hoc sit valde pium & rectè in multis locis constitutum: tantumdem enim valent non esse dominum, & non apparere, quoad eum, cui non apparet. Grot. *d. c. 10. n. 11. Less. d. I. & I. lib. 2. cap. 14. dub. 6. n. 36. & seqq.* Rectè addit Grot. *d. c. n. 13.* mendosè à Medinà *qu. 10. d. rest.* quem sequitur Less. *d. I. & I. d. c. 14. dub. 3. n. 22.* traditum, rerum alienarum in nos dominium transire sine consensu domini si res sint tales, quæ pondere numero & mensura æstimari soleant. Licet enim res ejus generis functionem quidem recipere dicantur, hoc tamen tunc demum admittendum, si consensus præcesserit, aut ex lege aut more præcessisse intelligatur, ut in mutuo, aut etiam si res utpote consumpta exhiberi nequeat. Extra talem consensum vel expressum & formalem, vel virtualem & præsumtum, & extra necessitatem functio illa locum non habet. Illud jure civili utilitatis causâ receptum est, ut si nummi alieni crediti fuerint, iis bonâ fide consumptis mutuum confirmetur & condictio nascatur, & generaliter, ut quod numeranti præstat pecuniæ translatio, hoc ea ab initio non translata præstet consumptio. *l. 11. in f. & 2. l. seqq. l. 19. §. 1. ff. d. reb. cred. l. 17. d. solut. Vinn. ad pr. Inst. quib. mod. recontrab. oblig. num. 6.* Et refert Javolenus ex Cajo *l. 78. ff. d. solut.* nummos alienos in solum datos creditoris accipientis fieri, si eos ita immiscuerit suis, ut discerni non possint. An dicemus idem esse in frumento, quod quis ex simili causâ acceptum, bonâ fide cum suo miscuit? Refragatur generalis definitio, quæ habetur *in §. 28. Inst. d. R. D.* Tum ratio etiam subjectâ & comparatio frumenti misti & pecorum. Plerique putant, inter nummos & frumentum hoc interesse, quòd nummi ita commixti, ut discerni non possint, pro consumptis habendi sint, frumentum non antè, quàm farina ex eo sit confecta: rerum enim quæ usu consumuntur, consumptionem æstimari, ex consumptione ipsorum corporum, pecuniam numeratam intelligi consumi plerumque salvis nummorum corporibus *§. 2. Inst. d. usufr. Less. d. I. & I. lib. 2. c. 20. dub. 18. n. 157. Vinn. ad §. 28. Inst. d. R. D.* Ex suprâ dictis liquidò patet, unde & qualis sit obligatio reddendæ rei alienæ domino.

XXII. Quid si itaque ex re aliena etiam bonâ fide acceptâ illa obligatio oriatur, quid dicendum de fure? Hic & omnis iniquus detentor rei alienæ, vel alteri debitæ, continuò peccat toto illo tempore, quo, cum possit, non restituit rem furto ablatam. Soto *lib. 4. qu. 7. art. 4.*

art. 4. quia in non restituendo laedit proximum, ipsum impediens à possessione & usu rei suæ vel sibi debitæ, quæ læsio quò diutius durat, eò censetur major: Atqui talis læsio assiduè dependet vel à libera voluntate non restituendi, vel à liberà voluntate omisionis. Ergo. Qui itaque non restituit id, ad quod lege justitiæ tenetur, ille servando illam rem, continuò peccat, non quidem novum peccatum committendo, sed prius actu commissum continuando, nam illa retentio informatur à primà voluntate retinendi, quæ interpretativè censetur actu manere. Et licèt injustus detentor habeat aliquoties expressam voluntatem, toto illo tempore non restituendi, non censetur tamen moraliter novum peccatum, neque numero plura peccata, nisi Physicà ratione, sed unum peccatum, in genere morum gravius, omnes enim illæ internæ voluntates referuntur ad unum idemque opus externum continuatum, & cum eo unum numero peccatum efficiunt. Veluti cum quis versatur in conatu occidendi hominem, omnes actus prævii occisionis sunt unum numero peccatum, quia omnia interna desideria tendunt ad eundem conatum. Less. *d. I. § I. lib. 2. c. 12. dub. 3.* Dissentit Cajetanus *2. 2. qu. 66. art. 3.* Naturali jure fur & raptor tenetur rem subtractam reddere cum suo incremento naturali, &, si perierit, æstimationem Grot. *d. I. B. l. 2. c. 17. num. 16.* Div. Thom. *2. 2. qu. 62. art. 6.* Didac. Covarr. *ad c. Peccatum part. 2. §. 6. n. 1.* qui enim rem injustè accipit, non tantùm obligatur ratione rei acceptæ, sed etiam ratione injustæ acceptionis; sive itaque res existet, sive non, tenetur ad damni compensationem. Sed inter DD. illud controversum: An fur, aut ejus generis possessor teneatur in foro conscientiæ ad restitutionem; quando res certò apud dominum erat peritura? e. g. Titius abstulit ex ædibus Caji vel Sempronii, vestes, frumentum, pecuniam, quæ paulò post incendio vel hostili incurfione apud dominum erant peritura. Vel si quis incendit segetes, quas inundatio postridie erat everfura. Paludanus *in 4. d. 15. quæst. 2. art. 1. concl. 5.* docet etiam hoc casu teneri iniquum detentorem, quòd plerique JCrī tradunt, uti refert Covarr. *ad C. peccatum p. 2. §. 6. n. 1.* Verùm dicendum videtur, si res casu vel justà hostium incurfione apud dominum certò erat peritura, quòd non teneatur fur ad restitutionem, si apud eum similiter periit, Covar. *d. l. Joh. Medin. d. restit. qu. 6. conclus. 6.* Silvester. *Restitut. 7. qu. 5. §. 3.* Dixi, *si casu vel justà hostium incurfione*: Si enim res

ita non nisi per injuriam erat peritura, tenebitur, quia, qui illam sic abstulisset, ex maleficio teneretur: Ergo si fur illum præveniat, tenebitur. Addidi si certo apud dominum erat peritura; quod si enim id sit dubium, vel si dominus eam erat venditurus ante illud tempus, tenebitur fur; in dubio enim melior est conditio domini innocentis. Quando autem res certo erat penes dominum peritura, ita ut nil juris vel commodi ad illum rediturum esset, nil quoque novi damni illi illatum, dum apud furem perit, nil domino est compensandum pro re illa perditâ; Fur enim nec est causa Physica nec moralis damni ratione interitus rei, cum ad illum nullo modo cooperetur, uti præsuppono, nec ratione iniquæ acceptionis, cum eodem modo apud verum dominum, licet non esset ablata, interitura fuisset. Nec video, quâ ratione dominus queri possit de damno per injustam acceptionem illato, cum illa etiam non ablata apud eum esset peritura. Quæ igitur injusta acceptio efficaciter non infert damnum, illa non inducit in foro conscientie restituendi obligationem arg. l. 14. §. fin. autem ff. Depositi & l. f. ff. ad L. Rhod. d. jactō. Vid. Leonh. Less. d. Just. & Jur. lib. 2. c. 12. dub. 15.

XXIII. Bellè quæri potest, utrum fur, & qui vis alius iniquus possessor teneatur ad restitutionem juxta summam æstimationem, quam tempore detentionis habuit? Affirmat Navarr. cap. 17. num. 26. Gabriel. dub. 15. qu. 2. art. 3. dub. 1. conclus. 3. v. g. furatus est Titius modium tritici, qui tunc valebat 3. aureos, ante factam restitutionem pretium tritici crevit ad quinque, deinde sensim ad tres remisit, dicunt ibi furem teneri ad quinque, quia quicquid incrementi accessit, illud est domini, unde totum illud fur tenetur reddere domino, sed hoc federe distinctionis est temperandum cum Joh. Medin. v. Restitutio qu. 6. Covarr. d. c. peccatum p. 2. §. 6. n. 2. Si res penes furem est melior facta, vel pretium illius crevit, & adhuc extat, illa res furto ablata cum illo incremento est Domino reddenda. In cujus enim dominio res illa semper mansit, ad illum etiam pertinebit ejus incrementum: A qui res furto ablata semper in dominio veri Domini mansit: Ergo ad illum illud incrementum vel augmentum jure pertinet. Nec obstat, quod apud Dominum non esset effecta melior, vel fortè periisset: Illa enim res, dum extat, Domini est, ergo fur ratione rei acceptæ & extantis tenetur restituere. Quare is, qui accepit frumentum vel pecuniam & penes se retinuit, donec crevit æstimatione

matio

matio, tenetur restituere simile pretium, vel illam æstimationem si adhuc daret. Notat tamen Corar. d. l. in foro interiori esse deducendas impensas, quibus res furto ablata est facta melior, quas verus Dominus facere debuisset, si illam rem surreptam ad illum statum perducere voluisset; Nemo enim ex alterius damno debet fieri locupletior, Medina. d. l. Petrus. Navarr. lib. 4. c. 1. num. 32. licet in foro exteriori jure civili repetitio impensarum malæ fidei possessori denegetur l. 37. d. R. Vendic. l. 45. §. 1. in f. d. Att. Empt. l. 5. C. d. edific. privat. l. 48. d. R. V. vid. Buch. ad Treutl. vol. 2. disp. 20. tb. 6. & vol. 1. disp. 14. thes. 19. Vin. in §. 30. Inst. d. R. Div. num. 5. Si res furto ablata in eodem statu permanferit, sufficit illam, uti est, restituere, lucrum tamen & damnum emergens domino est sarcendum, sed si intrinseco augmento melior facta per furem distracta est, tenetur domino restituere æstimationem, quam habet in illo statu, quamvis apud dominum non erat melior futura, qui enim est dominus rei, ad illum etiã pertinet illud incrementum rei inhærens. Sicut itaque æstimatio substantiæ ipsius rei est domino restituenda, ita etiã æstimatio hujus incrementi, non tamen summa sed mediã; Si verò res illa non intrinseco augmento, sed sola extrinsecã æstimatione ob raritatem rei vel copiam est aucta, illamque tum fur vendidit, & dominus illam non erat venditurus, tenetur solum ad illam æstimationem. Sed quid dicendum de fructibus ex re aliena perceptis? Jure civili Romanorum non tantum industriales, sed etiã naturales, simul atque à solo, aut re, qua tenebantur, separati sunt, acquiruntur bonæ fidei possessori l. 48. ff. d. acq. Rer. Dom. l. 78. ff. d. R. Vendic. l. 13. quib. mod. usu amitt. Nec ad restitutionem fructuum consumptorum, tenetur, quatenus est factus locupletior. l. 22. C. d. R. vendic. l. 4. §. 2. ff. fin. Reg. Verùm hoc fluit ex Jure civili positivo, non ex Jure naturali, ex quo hoc tantum colligitur, ut bonæ fidei possessor jus habeat impendia in rem facta, & operam utilem imputandi, ac pro iis deducendi fructus perceptos, imò & extantes, si aliter non fiat ei restituito, retinendi. Grot. d. J. B. & Pac. lib. 2. c. 8. n. 23. & lib. 2. c. 10. n. 4. 5. Malæ fidei possessor sicuti nullum jus habet in solo, ita nec ullos fructus aut percipiendi interrim suos facit, aut consumendo lucratur, sed cogitur Jure civili cum ipsa re etiã fructus licet consumptos restituere l. 22. C. d. R. Vendic. nec per retentionem oppositã doli mali exceptione, sumptus à se factos

servare poterit, si res vendicabitur, exceptis sumtibus factis fructuum. quarendorum gratiâ. *l. 26. in f. & l. seq. ff. d. hered. petit.* Nec refert, an ab initio quis malâ fide possederit, an postea possidere coeperit, ex eo enim tempore, quo cognovit rem alienam esse, fructus suos facere desinit. *l. 23. §. 1. l. 48. §. 1. ff. d. acq. Rer. dom.* Huc etiam pertinent possessores omnes post litem contestatam *l. 22. C. d. R. vendic. l. 4. §. 2. ff. Fin. Reg. l. 2. C. d. fruct. & lit. exp.* In summa possessores malâ fidei, quales etiam habentur post litem contestatam omnes, fructus omnes cum ipsa re restituere debent *d. l. 22. C. d. R. vendic.* tenenturque eo nomine de extantibus rei vendicatione, de consumptis conditione scilicet ad æstimationem, quæ vice rei fungitur. *l. 4. §. 2. fin. reg. l. 3. C. d. Condit. ex lege. l. 4. C. d. Crim. exp. hered.* Et non tantum tenentur de perceptis, sed & de iis, qui percipi potuerunt, nec possessori patrocinari debet, quo titulo possideat, quia hic à dolo non excusat. *l. 33. l. 62. §. 1. ff. d. R. vendic. l. 5. C. eod.* Verum si sequestremus autoritatem legum Romanarum, & quæstio moveatur de Jure naturali, dicendum erit etiam in prædonis persona rationem impensarum esse habendam. *l. planè ff. d. heredit. petit. Grot. d. 7. B. lib. 2. c. 8. n. 24. Less. d. Just. & Jur. lib. 2. c. 12. dub. 17.*

XXIV. Jure naturali non tantum ad reparationem damni tenentur, qui ipsi rem alienam auferunt, & sunt causa physica & moralis illius damni, sed etiam qui consilium auferenti dolo malo præstant; Licet enim hi in effectum non influant, ex directa tamen illius intentione aliquid conferunt, aut saltem indirectè illum intendunt. Directa Intentio dicitur comparatione effectus, quem quis ipso voluntatis actu efficaciter expetit. Hic excluditur voluntas simplicis complacentiæ, quâ quis fertur in aliquid sine efficiendi vel quicquam eò conferendi desiderio. Conferre aliquid ad effectum sensu ajente & negante, sive, ut Scholæ loquuntur, positivè & negativè accipitur, qui jubet aliquid, qui suadet, qui ad patrandum aliquei cogit, qui media & instrumenta eo fine, ut delictum committatur, subministrat, qui removet impediens & prohibens, quod novit esse prohibens, eo animo ut effectus sequatur, sicut qui captivum vinculis solvit, ita ut solutus aufugiat, qui applicat agens ad patiens, aut hoc illi, sicut qui ignem injicit domui, aut chartam in ignem conjicit, ex directa effectus intentione positivè aliquid conferunt. Qui non impedit delictum, cum impedire potest & tenetur, illa negativè aliquid confert

confert ad effectum; quamvis hi effectus non impediti, cum impediti potuerint & debuerint, vulgo magnâ sui parte saltim indirectè intenti habeantur. Dn. Musæ. in *Inst. Metaphys. C. 13. §. 21.* Dicitur indirecta intentio comparatione effectus, quem quis actu voluntatis non expetit, sciens tamen aliquod confert ad ipsum, atque adeò perinde se gerit, ac si eum expeteret, veluti cum quis appetit & agit quippiam, ex quo aliquo modo novit effectum sequi; quod tamen cum hac inoderatione est accipiendum, videlicet ut effectum indirectè intendere dicatur, non qui quidvis facit, ex quo novit illum sequi, sed qui facto illicito illum provocat, aut qui illud agit, à quo tenebatur abstinere, ne hujusmodi effectus sequeretur. Sic Pastor Ecclesiæ omnibus illecebris vitiorum accupiditatum deditus, cum conjectura haud difficili adsequatur, alios quoque suo exemplo ad nequitiam adductum iri, indirectè aliorum perditos mores intendit. Quo temperamento adhibito excluduntur illi casus, quando quis illud exercet, à quo abstinere non tenetur. Sicuti eleganti forma mulier, licet animo præsumat, incontinentes & salaces sui aspectu prava libidine accensum iri, quæ tamen ideo publico carere non obstringitur. Quæ verò diximus de mandato, consilio & consensu, cum moderamine sunt intelligenda; Nec enim quivis, qui vel præcipit, vel suadet, vel probat homicidium vel furtum, statim homicidii vel furti reus est, sed tum demum actione furti vel homicidii tenetur, si mandatum vel consilium, vel consensus effectum suum habuerit, qui si secutus non sit, eò quoque obligari nemo potest. *l. 36. l. 52. §. 19. ff. d. Furt.* Deinde licet quis mandet scelus, aut ad illud consilium præbeat alteri, & ita in auditorio conscientie peccet, tamen si mandatum vel consilium det illi, qui antè sibi proposuit delictum, is cum facit, culpa mandanti vel suadenti non videtur posse imputari, quia consilium vel mandatum hoc in casu non exercet causalitatem moralem in ordine ad effectum, non quòd ille non sequatur, sed quòd ex illis tanquam ex causis non sequatur: illud enim delictum autor illius proprio motu facturus erat, si vel maxime ad istud nec mandatum nec consilium accessisset, & committit illud, eò modo, quò destinavit, non aliter ob mandatum vel consilium, quare qui consilium dant vel consensum præbent, illius delicti causa dici nequeunt, sed habent se ad illud concomitanter. Tunc itaque mandans, vel consilium dans illius delicti causæ sunt morales, quando efficientem causam

causam cum effectu ita movent, ut rem eam fieri à mandato, vel consilio, vel consensu morali quâdam ratione dependeat. Grot. *d. I. B. & Pac. lib. 2. c. 17. n. 6. 7. 8. 9. 10.* Anton. *p. 2. c. 1. tit. 12. §. 12.* ex Paludano & Richardo Sylvest. *Resp. 3. qu. 6. v. 3.* quod non ita intelligendum monet Grot. *d. J. B. lib. 2. c. 17. n. 10.* ut si alii defuturi non fuerint, qui suaderent aut juvarent, non teneantur, qui suaserint aut juverint, si absque consilio, ope, qui dedit damnum, daturus id non fuisset, quia & alii si suavissent & adjuvissent, tenerentur. Cajetan. *2. 2. qu. 62. art. 6.* Joh. Medina *quæst. 7. Sot. lib. 4. qu. 7. art. 3.* Less. *d. Just. & J. lib. 2. c. 13. dub. 2. n. 2.* Si quis obijciat, quòd illa sit vera causa, quâ positâ sequatur effectus, & quâ non positâ non sequatur, quo igitur non posito effectus nihilominus sequeretur, illud non potest censerì causa illius effectus: Atqui illo consilio non posito, effectus nihilominus sequeretur: Ergo illud consilium non potest esse causa illius effectus. Sed responsio facilis est; non enim de ratione causæ est, ut illâ non positâ effectus non ponatur, sed tantum ut illâ positâ effectus ponatur; Idem enim effectus potest poni per multas causas. Ex his colligi potest, quid inter causam moralem, & causam sine qua non inter sit, & quòd turpius hallucinentur quàm ferri possit, qui causam moralem pro causa sine qua non habendam statuunt. Hos enim limites inter causam veram ac per se, & inter conditionem vel causam sine qua non consensus orbis literati possint, ut vera causa & per se ea dicatur, quæ effectum verè causas mediante causalitate vel physica vel morali. Conditio s. causa sine qua non, quæ effectum non causas, nec physicè nec moraliter, sic tamen se habet, ut vera causa effectum suum sine ea producere non possit. Duo itaque ad conceptum causæ sine qua non sequuntur (1) ut nullam causalitatem exerceat respectu effectus in ordine, ad quem conditio vel causa sine qua non dicitur (2) ut licet ad causam per se necessaria sit, utpote sine qua causa per se effectum producere non possit, ad ipsum tamen causalitatem effectus se habeat veluti per accidens. Hos limites posuit unanimis Dd. consensus, quos movere nemini hominum licet, perinde atque non licet rustico, ut sepem moveat sine vicini sui consensu, nec quisquam eruditorum permittit, ut pro vera causa & per se habeatur, quæ est tantum conditio sine qua non, vel pro conditione sine qua non tantum, quæ est vera causa & per se Dn. Slevoigt *disput. Acad. 13. in Corollar. Dn. Musæus in Instit. Metaph. c. 13. §. 39.*

XXV. Is,

XXV. Is, qui rem furtivam in custodiam sciens recepit, ut furi fervet, tenetur Domino ad restitutionem, si eam furi dederit, quia in genere morum censetur furi cooperari ad retentionem rei alienæ. Sylvest. *Resf. 3. qu. 6.* Qui particeps est prædæ, tenetur pro ea parte quam accepit; qui auxilium præbet furi ad injustam & prohibitam actionem furti, veluti qui scalas apponit, vel illas sustinet fure ascendente, qui excubias agit, qui instrumenta suppeditat, qui juvat effringere fores, tenetur semper ad restitutionem, hoc ipso, quo aliquid auxilii ad iniquam actionem contulerit, si id spontè & libera voluntate faciat, maximè quando aliàs furtum non fuisset secuturum; Si verò id non liberâ voluntate, sed ex justo metu sit factum, non tenetur, modò id, quod facit, non sit per se malum; sic potest quis justo metu coactus apponere scalas, præbere instrumenta, juvare conscendere murum, quia illa non sunt per se & intrinsecè turpia & prohibita, sed indifferentia, nec dominum lædunt, nisi ex injusta intentione & usu furis, qui illis mediis ad malum finem utitur. Eodem modo potest quis juvare in re, postquam furto vel rapina est ablata, asportandâ & in pecore abigendo; Hoc enim casu ab illo non fit injuria domino, postquam res est ablata. Hac ratione excusantur rustici, qui prædas militum injustas coguntur avehere, vel pecora sublata. Nemo tamen metu impulsus potest domum alienam perfringere, vel per fenestram penetrare, & res forâs projicere vel pecora è stabulo abigere, hic enim esset causa principalis & directa damni, furti & injuriæ. Est commune effatum Philosophorum: Quicumque mihi rem meam primò aufert & damnum infert, is facit mihi injuriam, quocunque metu id faciat. *Less. d. Just. & Jur. lib. 2. c. 13. dub. 3. n. 27. 28. 29.*

XXVI. Illa difficultas de participante vel adjuvante moveri potest, an ille in solidum ad restitutionem teneatur, ut quando milites spoliarint urbem? Nonnulli ajunt singulos damni socios in solidum teneri, alii negant. Existimamus, nos rectiùs facturos, si distinguamus, an adjuvans cooperetur ad idem damnum individuum, ut si quis juvet ad eandem domum incendendam, ad eandem rem furto auferendam, ad idem pecus abigendum, tunc teneatur in solidum, licèt socius constituerit solus damnum inferre: An verò concurrat non ad idem damnum in individuo, sed ad distinctum, ut tunc tantum pro sua parte teneatur Adrianus *qu. 1. d. Resf. Sylvest. Resf. 3. qu. 6. §. 4. Navar. c. 17. n. 21.* Qui enim est

tantum causa partis damni, non totius aut partis, quam alius fecit, ille saltem ad restitutionem pro parte tenetur. Hinc miles quoque non tenetur nisi de damno, quod ipse per se in bello injusto dedit, non verò ad omnia damna quæ illo bello inferuntur. Sylvest. *verb. bellum* 1. qu. 10. §. 6. Navar. *d. c. 17. n. 22.* Dissentit Didac. Covarr. *ad Cap. peccatum. 2. part. §. 12. num. 2.* Joseph. Angl. *l. 1. in 4. difficultate 10. de restitutione ex bello.* Sicut enim totus exercitus est causa totius damni, ita singuli milites suæ tantum partis & non nisi pro sua parte ad restitutionem tenentur. Dux verò belli ad omnia damna tenetur, quia hic illos direxit, vel si non direxit, illos ex officio tenebatur impedire, & sic est causa moralis omnium damnorum, cujus necessarium consequens est, ut effectus illi ad culpam & poenam imputetur Dn. Musæus *Inst. Metaphys. c. 13. §. 42. 43.* Illud hic addendum, quò ordine teneantur illi, qui consilium dederunt, vel auxilium præstiterunt, ad restitutionem? Primo loco & ante omnes ad restitutionem tenetur is, ad quem res furtiva pervenit: secundo loco executor, quatenus est talis: tertio cæteri, qui consilium dederunt, qui consenserunt, qui laudaverunt vel præstiterunt obsequium, quia executor & post illum, qui jusfit vel suo nomine fieri voluit, est principalis; cæteri verò sunt causæ accessoriæ & secundariæ fulcientes & quodammodo inservientes executori. Si itaque executor restituerit, illi ad nihil tenentur, qui tantum obstringuntur in-ejus defectum, si verò executor non potuerit restituere, illi ad restitutionem tenentur Covar. *ad C. peccatum p. 2. §. 12. n. 3.* Sylvest. *Rest. 3. qu. 6. §. quintum.* Less. *d. Just. & J. lib. 2. c. 13. dub. 5.* Inter causas secundarias quæ tenentur post executorem, videlicet inter consultorem consentientem & subministrantem Petr. Navar. *lib. 5. c. 4. num. 81.* ponit ordinem aliquem; sed verior est sententia non esse inter has causas secundarias talem ordinem, qualis est inter principalem & secundariam, ita ut primâ solvete reliquæ maneat libera, sed in defectum principalis, omnes hæ causæ tenentur æqualiter, ita tamen ut alia ad plus, alia ad minus teneatur. Less. *d. c. 13. dub. 6.* Qui ratum duntaxat habet furtum suo nomine commissum, non obligatur ad restitutionem in foro conscientiæ. Medina. *qu. 7.* quia ex illa ratihabitatione furti ipsum factum, per quod damnum illatum est, tanquam ex causa movente nullo modo pendet. Nec obstat *C. ratihabitationem d. R. 7.* ubi dicitur: Ratihabitationem retrahi & mandato comparari, quia illa comparatio

paratio est intelligenda non respectu operis perpetrati & obligationis restituendæ, sed respectu contractuum; Item respectu pœnæ in foro exteriori, quia qui ratum habet maleficium, sicut qui mandavit in foro exteriori, extraordinariâ pœnâ afficitur. Less. *d. dub. 1. n. 13.* Anton. Matth. *d. Crim. p. 16.*

XXVII. Ex hac causa furti Jure Civili Romanorum variæ actiones proditæ, partim rei persequendæ gratiâ, partim maleficii coercendi. Rei persequendæ gratiâ tres sunt propositæ, Vindicatio, ad exhibendum, & Condictio furtiva: Rei vindicatio Domino Competit adversus quemcunque possessorem sive fur sit, qui possideat, sive alius *l. 23. ff. de R. Vind. l. 1. C. ubi in rem actio l. 25. ff. de O. & A. §. 1. Inst. de actionibus.* Condictio furtiva soli Domino datur adversus furem furisve heredem in solidum, quâ aut rem, aut æstimationem ejus consequitur *l. 1. 7. 8. 9. 10. 13. ff. de Cond. furti.* quod contra rationem juris odio furtum est receptum, cum regulariter rem suam nemo condicere possit *l. ult. in fine ff. V. sus. quemad. Cav. §. 14. Inst. d. Act. Bach. de Act. disp. 4. th. 21.* Ant. Matthæi *d. Crimin. p. 109. Vin. ad §. ult. Inst. d. furt. n. 4.* Actio ad exhibendum ei datur, cujus peculiariter interest rem exhiberi, adversus quemcunque possessorem, ut rem exhibeat in eadem causa, in qua fuit tempore litis contestatæ, vel præstet id, quod interest *l. 3. §. ult. l. 4. l. 9. §. 3. & 5. l. pen. ff. ad exhibendum.* De digno furtivo alienis ædibus juncto cessat adversus ignorantem vindicatio, & ad exhibendum actio, sed adversus eum qui ignorans junxerit vetus actio in duplum ex *l. XII. Tab. datur. l. in rem. 23. §. pen. d. R. vind. l. 6. ff. ad exhibendum l. 1. & 1. r. ff. d. tigno juncto §. 29. Inst. d. Rerum Divis.* ibique Vinn. & Bach. Furti coercendi causâ & civiliter agitur & criminaliter; civilis & pecuniaria est actio furti, quâ privatus à privato pœnam delicti persequitur. Pœna hæc aut est certa ab initio, aut ex eventu imponitur. Certa ab initio duplex, dupli ex furto nec manifesto, quadrupli ex manifesto *§. 5. & ult. Inst. d. oblig. q. ex delict.* Fur manifestus censetur primum is, qui in ipso facto seu actu furandi apprehenditur, tum etiam is, qui deprehenditur in loco, ubi fit furtum, postremò & is, qui quantumvis locum egressus, deprehenditur cum re furtiva, antequàm eò pertulit, quò perferre destinavit *l. 3. 4. 5. ff. d. furt.* nec tantum prehensio, sed & visio furem manifestum facit, cum ad eum comprehendendum accursum est, isque abjecto furto aufugit

l. 7. §. 1. ff. eod. nec interest, à quo deprehendatur, utrum ab eo, cujus ea res est, an à vicino vel ab alio quolibet transeunte l. 3. §. 2. l. 7. §. ult. ff. eod. Cæteri sunt fures non manifesti §. 3. *Inst. d. furr. l. 3. usque ff. eod.* Pœna, quæ ex eventu condemnatis aut de furto pretio pactis irrogatur, est infamia l. 1. l. 4. pr. & §. ult. l. 6. d. his qui not. infam. Jure civili Hebræorum *Exod. 22. 9.* de iis, quæ alteri concredita vel amittuntur vel intervertuntur, generalis extat Regula, quâ sequentia distinctiùs exponunt. Verba legis: *de omni re interversa, de bove, de asino, de parva pecude, de vestimento; de omni re amissa, quum dixerit, illum ipsum esse; ad ipsos magistratus venito negotium amborum: quem condemnabunt magistratus, rependito duplum proximo suo.* Hinc Talmudici in omnibus rebus pœnam dupli, in solis bobus & parvis pecudibus pœnam quadrupli & quintupli obtinere concludunt. Nam duplum & quadruplum in ejusdem rei furto exigi potest pro diverso furandi modo. Concredita enim, quæcunque sint, duplo rependuntur; at bos & parva pecus, si non concredantur, sed furripiantur, bos quintuplo, parva pecus quadruplo compensatur. Nisi istæ bestia etiamnum integræ in suis manibus deprehendantur: eo enim casu duplum sufficit, uti legimus *Exod. 22. vers. 4.* Quia verò vers. 4. asinus etiam commemoratur, nimis à Judæis commata. 1. coarctari existimat *Const. L'Empereur d. ll. Hebræorum forens Cap. 7. §. 1. pag. 137.* quum 1. & 4. inter se collata, quævis pecora intelligenda esse suadeant, quæ in pascuis relinqui solent. Hæc enim videtur augendi pœnam ratio, quòd ista animalia furandi occasio semper in promptu sit; quapropter ne, quorum tantus est usus & necessitas (quæ altera ratio est) temerè & frequenter, quia factu facile sit, furto auferantur vel abducantur, tanta sancita fuit multa. Ideo enim vers. 9. duplum tantum exigitur: quia tale furtum præcaveri potest, puta si alteri pecora non concredamus. De hoc enim ibi sermo est. Deinde usum & utilitatem istarum bestiarum etiam spectari inde liquet, quod si bos vel ovis &c. adhuc vivi in furis potestate sint, non nisi ad duplum teneatur vers. 4. quandoquidem eo modo Dominus nullum damnum in istius pecoris corpore percipit. Quare etiam bos quintuplo rependitur, quia ejus usus major. Hæc igitur duplex ratio spectanda. Unde de similibus simile judicium faciendum est. Verum ut alia loca concilientur, distinguendum autumat *Const. L'Empereur l. c. inter eum, qui invitus deprehen-*

deprehenditur, & culpam agnoscere cogitur, & eum, qui sponte pœnitentiâ ductus culpam fatetur & deprecatur: Sic Levit. *cap. 6. vers. 4. & 24.* minor mulcta injungitur, quàm Exod. 22. Cùm tamen furtum ibi 1. & vers. 9. descriptum inter alia contineatur. Sed ex adjuncta expiatione ad quam arietem afferre dicitur, vers. 6. de pœnitentiam agente agi constat: quem enim facti pœnitet ideoque expiationem quarit, minùs lex coudemnat, quàm pertinacem furem, qui non nisi convictus vi ad restitutionem cogitur. Quod de pœnitentia diximus è *Num. 5. 7.* magis confirmatur. Explicat hoc eleganter Grot. in *Ann. in lib. Evang. pag. 789.* ad verba τετραπλῆν, cujus verba subjungimus: *Imitatione ejus quod erat in lege. Nam qui pecudem, extra bovem, surripisset, pendebat quadruplum. Exod. 22. v. 1. unde originem sumfisse videtur lex Attica & porrò Romana: imitatione dico, non ex lege ipsa. Nam primum lex non obstringebat nisi in judicium adductos: erat enim hac velut pœna infsciacionis: alioqui si quis ante judicium facti pœnitentia duceretur, is culpa absolvebatur, restituens simplum & quintam simpli, qua videtur successisse in locum incertæ estimationis damni furtum consequentis. Num. 5. 7. Deinde pœna quadrupli locum non habet nisi post alienationem rei surreptæ: alioqui reus duplum solvens liberabatur. Exod. 22. v. 4. Discimus ab exemplo quid faciendum sit iis, quos peccatorum pœnitet. Primum enim quatenus fieri potest, resarcienda sunt damna aliis per vim aut dolum illata, quod ipsa natura dicitur: neque enim peccare desistit, qui alienum retinet. Contra naturam est, inquitur Jurisconsulti, locupletari aliquem cum aliena injuria. Præterea verò, si non necessarium, admodum tamen utile est, ut qui peccavit, judicis in se personam assumens ipse sibi aliquid indicat pœna nomine: quò testetur quantum sibi peccatum displiceat: εἰ ἐοὔτως διεξιγομεν, ἔν ἀν ἐπιπόμωδα, inquit Paulus 1. Cor. 11. v. 31. Hoc inter illa est, de quibus nulla existat lex definita, sed que potentior omni lege spiritus dicitur.*

XXVIII. Actio furti Jure civili omnibus competit, quorum interest furtum factum non esse. Quod tamen cum hoc temperamento accipiendum, si ex honesta causa interfit. *l. 10. & seqq. ff. d. furt.* Nec enim furi & malæ fidei possessori, licet illorum interfit rem non furripi, actio furti datur, quia ex improbitate sua nemo actionem nancisci

debet *l. 14. §. 3. 4. l. 76. §. 1. l. 12. §. 1. ff. eod.* Profertur tamen ab Ulpiano unus casus, quo fur actione furti agere potest *l. 48. §. 4. ff. eod. Vin. in part. Jur. Civil. lib. 2. cap. 45.* quamvis plures casus afferri posse putet Dn. Tabor in *Racem. Crim. pag. 79.* Illud in universum observandum, sufficere ad actionem furti, quod intersit tunc, cum furtum fieret, licet eò tempore, quo agitur, non amplius intersit *l. 46. in pr. ff. d. t.* quorum itaque interest rem non esse surreptam, illis actio datur, licet non sint Domini, quod ad illos duntaxat pertinet, quorum culpâ res surrepta est, cum eam ex voluntate Domini suo periculo tenerent; Uti est creditor respectu rei pignori datæ & furto ablata *l. 12. §. ult. l. 14. §. 5. 6. & 16. l. 19. §. pen. & ult. l. 49. ff. eod.* Conductor *l. 14. §. 12. ff. eod.* Commodatarius *l. 5. in f. l. 6. 7. ff. commod. l. 28. ff. rei amot. l. 14. §. 14. & seqq. ff. d. t. l. ult. C. eod.* Depositarius, si culpam in se recepit *l. 14. §. 16. ff. d. t.* Tenentur hac actione ii, qui furtum faciunt, & quorum ope consilio furtum factum est; Quæ verba *Ope Consilio* non conjunctim, sed separatim & disjunctim sunt accipienda *l. 53. §. ult. ff. d. V. S.* Ibiq; Wissenbach. Quoniam qui tantum tulit, tenetur hac actione in duplum *l. 34. b. t.* qui consilium dedit, ut furtum fieret, is duplum eodem modo tenetur, si fur consilio paruerit & ita furtum sit secutum *l. 36. l. 52. §. 19. ff. d. furt. Bach. ad Treut. vol. 2. D. 30. thes. 3. lit. D. Frantzkus Exercit. 12. quæst. 5. Vin. ad §. 11. Inst. b. t. Ant. Matth. d. crim. pag. 73.* Verùm quoad conditionem inter hos est differentia, qui enim opem tulit, non solum furti in duplum, sed etiam conditione furtivâ tenetur *d. l. 53. §. ult. d. V. S. l. ult. C. d. noxal. act.* Qui verò consilium solummodo dedi nunquam tenetur conditione furtivâ, sive furtum sit secutum sive non, *d. l. Dn. Hahn. ad Wesenb. t. d. cond. furt. num. 7.* Objici solet *l. 6. ff. d. cond. furt.* Ubi disertè affirmatur, nec contra illum, qui opem tulit, conditionem dari. Forsan dici potest in dicta *l. 6.* ponendum esse citra operam ad actum furandi adhibitam consilium tantum præstitum, fuisse: uti responderet Bach. *ad Tr. vol. 2. Diss. 30. th. 3. lit. D. & in notis ad Wesenb. Tit. d. cond. furt. num. 7.* quod enim *d. l. 6.* affirmatur, illud ducitur ex præcedente *l. 5.* per illationem hoc sensu: Qui conditione furtivâ tenetur, is vel ipse furtum fecit, vel heres ejus: Atqui cujus ope vel consilio furtum factum est, is non statim furtum fecit, aut fur est, aut heres ejus: Ergò cujus ope vel consilio furtum factum est, non statim con-

tim conditione furtiva tenetur. Minor probatur, quia is tantum consilium dedit, & non simul opem tulit, cujus ope vel consilio dicitur furtum factum esse *l. 30. in pr. ff. d. furt. d. l. 53. d. V. S.* Itaque non ipse fur est, nec ipse furtum fecit, licet conditione furtiva teneatur: Dn. Thabor *in Racem. crim. pag. 125.* Dn. Struv. *Exercit. 18. thes. 55.* Wisfenbach. *ad Inst. D. 41. num. 20.* Heredes furis sola conditione, non autem actione furti, quae poenalis est, tenentur *§. ult. Inst. d. obl. que ex del. ibique Vin. in notis.* Interdum evenit, ut is, qui furtum fecit, actione furti non teneatur, idque in duplici genere causarum: In primo genere sunt servi & filii familias. Hi, si quid Dominis aut parentibus, quorum in potestate sunt, surripiant, furtum quidem formaliter committunt, & res in furtivam causam cadit, sed furti actio non nascitur, quia nec ex alia causa potest inter illos actio nasci *l. 4. ff. de Judiciis.* Si tamen filius castrense peculium habens patri furtum fecerit, defendi potest, utili actione eum teneri, cum habeat, unde satisfiat *l. 52. §. 2. ff. d. furt.* E converso, si pater rem Castrensis peculii filio subtraxerit, furti patrem teneri responsum *d. l. 52. §. 6.* quod de utili in factum actione accipiendum. Ant. Matth. *de crim. pag. 76.* In posteriori genere sunt vir & uxor, inter quos actio rerum amotarum competit, si quid constante matrimonio spe divortii, quod & secutum sit, ab alterutro surreptum est, quod jus vitandae turpis actionis causa ob honorem matrimonii est constitutum *l. 1. & 2. ff. rer. amot. Vinn. ad §. 12. num. 2. Inst. de furt. & in partit. Jur. civ. cap. 45.* Caterum rerum amotarum actio non minus ex delicto nascitur, quam conditio furtiva, eandemque vim & effectum sub alia appellatione habet. Illud hic monendum de actione furti civili, quod procedente tempore, etiam criminaliter furti agi, & vindictae publicae causa extraordinaria animadversione fures coerceri coeptum, poenam statuente iudice pro qualitate circumstantiarum *l. ult. ff. de furt.* Justinianus vero novissima sanctione moderamen attulit, ne pro furto mors, vel ullius membri abscisio infligatur, sed ut aliter fures castigentur, puta poenam pecuniaria, vel exilio, vel simili, *Nov. 134. cap. ult. authent. sed novo cod. d. serv. fugit.* Illud quaeritur: An is, qui furti civiliter egit, & poenam consecutus est, furem eo amplius deducere ad Praefectum urbi possit? Et contra qui accusavit apud Praefectum, an furti agere possit in duplum & qua-

& quadruplum? quod multi affirmant, quos laudat & sequitur Gomez. *3. Resol. 5. num. 4.* eò quòd *l. ult. ff. d. furt.* scriptum sit, furum improbitatem non solum civili, sed etiam extraordinaria animadversione coerceri. Verum ratio Jcti *in d. l. ult.* non conjuncta, sed disjuncta est, nec hoc vult, posse simul & civiliter & criminaliter adversus furem agi, sed vel civiliter, vel criminaliter, sicuti id idem disjuncta locutione de quibusdam privatis delictis traditur *l. ult. ff. d. privat. delict. §. in summa Inst. de injuriis l. 6. ff. eod. l. 56. §. 1. ff. d. furt.* nec obstant *l. 31. §. 1. l. pen. ff. de O. & A.* Illæ enim sententiæ sunt temperandæ *ex l. 31. §. 1. ff. eod.* hac distinctione, ut si altera actio durior sit, altera lenior, duriore institutâ lenior consummatur: Leniore institutâ durior non consummatur, sed officio judicis consequatur actor, quod in ea plus est. Quòd si utraque actio ejusdem sit potestatis tum altera instituta, altera perimitur aut ipso jure aut per Exceptionem *l. 34. ff. d. t.* At in proposita quæstione non de duabus actionibus concurrentibus, sed de actione & accusatione disputatur. Et licet accusationis exitus plerumque sit durior, quàm actionis, attamen non semper durior est: Et conveniunt sine atque scopo actio furti ejusdemque accusatio, quia utraque persequitur pœnam. Naturali vero æquitati prorsus repugnat ob idem admissum amplius quàm semel quenquam puniri. Si quis objiciat *l. un. c. quand. civ. act. crim. prejud.* facilis est responsio: Quoties de re familiari, seu eo, quod nobis abest, & civilis & criminalis actio competit, toties utraque experiri possumus: Sed cum actio veram vindictam persequitur cum accusatione, concurrere non potest, quia alterâ institutâ altera perimitur. Vin. *ad §. 14. n. 1. Inst. de furt.* Ant. Matth. *d. crim. pag. 113. & seqq.* Bellissimè etiam hic quæri potest: utrum accusari extra ordinem possit, quicumque fur seu magnæ seu parvæ rei; an vero improbiore duntaxat; Nos affirmamus indistinctè furem accusari posse per *l. ult. ff. de priv. del. l. ult. ff. d. furt. l. ult. ff. d. injur. l. 3. §. 2. ff. de bon. cor. qui ant. sent. mort. sibi consc.* Hieronymus *cap. ult. 14. q. 6.* *Fur autem non solum in majoribus, sed etiam in minoribus judicatur.* Non enim quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur. Quomodo in fornicatione non idcirco diversa sit fornicatio, seu mulier sit plebeia aut deformis, ancilla aut ingenua, paupercola aut opulenta, sed qualiscunque illa fuerit una est fornicatio. Ita & in furto

quantum-

quantumcunque quis abſulerit, furti crimen incurrit. Julianus Vetus novellarum interpres Nov. 69. *Quamvis res, de qua agitur minima videatur, tamen iustitiæ ratio, non ex quantitate, sed ex suis Regulis debet æstimari; Nam & quod aliis vilissimum videtur, hoc aliis preciosissimum est.* Ant. Matth. d. crim. pag. 80. 81. Willenbach. ad ff. disp. 29. tit. d. furt. n. 15.

XXIX. Hodie ex Constitutione criminali Caroli V. art. 157. & seqq. pœna furti est Capitalis, si concurrant omnes illæ circumstantiæ, quas inibi Carolus V. requirit; Utrùm vero illa pœna sit justa, & num summa majestas pœnam, quæ jure divino pecuniaria est, ex politicis rationibus in corporalem atque adeo capitalem mutare possit, acerrima est non solum inter Jctos, sed & inter Theologos disputatio. Grot. d. J. B. & P. lib. 2. c. 1. n. 14. censet, quod lex jus necis non habeat in omnes cives ex quovis delicto, sed demum ex delicto tam gravi, ut mortem mereatur. Et quod sit Scoti sententia valdè probabilis, fas non esse, quenquam ad mortem damnare, nisi ob delicta, quæ lex per Mosen data morte punivit, addito duntaxat aut quæ his sunt paria, rectè æstimatione. Quia non videtur notitia divinæ voluntatis, quæ sola animum tranquillat, aliunde in hoc negotio tam gravi haberi posse, quam ex illa lege, quæ certè mortis pœnam in furem non constituit. vid. Grot. ad Evangelist. p. m. 125. Andreas Rivetus in explicat. Decalogi pag. 36. ita differit: *Merito tamen existimamus, ab optimis quibusdam Theologis & Jctis disputari contra nimium rigorem, non quidem furum patrocinio, sed justitiæ & ἐπιεικείας studio; in quo rectè urgent Analogiam inter peccatum & pœnam, ne à lege Dei & justitiæ probari possit nimia severitas, qua limites ab eo concessos transgrederetur. Nam cum Deo soli competat absolutum jus vitæ & necis, seu plena in vitam & necem hominis auctoritas, non debent judices arbitrium suum sequi, sed expendere, quantum Deus in talibus homini concesserit. Quoniam autem negavimus, simplici furto deberi pœnam mortis, paucis notandum est, quibusnam opponantur simplicia, que aut clam aut palam sunt; nempe iis, que violenta sunt, que etiam composita furta appellantur, quia videlicet eum violentia conjuncta sunt; ut si quis effodiat aut infringat ades, idque noctu. Talem enim paterfamilias sub lege veteri poterat impune occidere Exod. 22. vers. 2. Si in effossione inventus fuerit vir & percussus*

M

cussus

ensus mortuusque fuerit, non erit percussor morti obnoxius. Non tamen jubeat lex divina illum occidere, nec probat, si quis occidendi animo furem percussisset; sed si animo abigendi, aut ut se contra furem invadentem tueretur, aut ex ira ipsum percussisset, ita ut inde moreretur, affectui & commotioni patrisfamilias, que sine justa causa non extitit, indulget Deus, ut ab ordinaria homicidii pœna percussorem absolvat. Unde est quod Exod. 22. vers. 2. non simpliciter dicit lex, si quis occiderit, sed, si percussus fuerit, mortuusque fuerit. Et Ulpian. fctus cum qui cum potuisset apprehendere, maluit occidere, injuriã fecisse videri, censet, hoc est contra jus, culpã teneri. Cum ergo in pœna furti, lex divina variè distinxerit, id etiam hoc tempore diligenter expendendum est, ne quis modum excedat. Aut furtum est hominis aut externorum, bonorum. Rursus hoc vel est rerum sacrarum, vel est communium. Quod privatum, est aut occultum est, aut manifestum, id est, si fur èν αυτοφóρω, & secum adhuc furtum habens, deprehendatur. Manifestum denique aut simplex est, aut compositum vel violentum, ut diximus. Ex his plagium tantum, sacrilegium & furtum cum violentia conjunctum, capitalia fuerunt. Exod. 21. 16. Dent. 24. 7. Josue 7. 11. 25. Exod. 22. vers. 2. Sic leges XII. tabul. furem nocturnum occidere permiserunt, & diurnum, si se defenderet, telo. Etenim fur nocturnus januam, parietes aut fenestras effringens, non furandi tantum animo venire presumitur, sed vitæ simul aliorum insidias struere creditur, adeoque ut grassator, latro, & pacis publica violatur, occiditur: Quia enim testes non adsunt, judicemque in tempore implorare non licet, adversus latronem vim vi repellere permittitur. Si tamen orto sole, & presentibus testibus paterfamilias furem occidisset, imputabatur ei homicidium furis; quia etiam in tali casu fur deprehensus, ad restitutionem tantum debebat cogi. Neq; lex divina Capitales pœnas promulgat, si quis vel famis necessitate, vel alia aliquã inductus, committat furtum; Unde est quod non immeritò miratur Musculus in finè locorum suorum communium: Quòd fures suspendantur, adulteri verò citra discrimen vitæ, levi aliquã pœna castigantur, quod censet nemini cordato probandum. Et sanè, in simplici furto, nimius videtur legis istius rigor. Nam, ut suprã notavimus, justitia in pœnis, in proportione inter delictum & pœnam consistit, ut si utrumq; appendatur, in æquilibrio utrumq; versetur. Sed si in

Sed si in simplici furto rei communis à re procedatur ad corpus, proportio hæc non servatur: Cujus argumenti ea est veritas, ut eam Diabolus ipse objeserit, Job. 2. vers. 4. Cuncta quæ sunt viro, dabit pro anima sua, id est, pro vita. Scriptura testatur magistratum non aliter, quàm ut Dei ministrum gladium ferre; ut ultor ad iram sit ei, qui malum fecerit. Rom. 13. vers. 4. Ergo non debet procedere in pœnis ultra id, quod novit à Deo fuisse irrogatum. Nec immeritò tantum rigorem adversus miseros quosdam fures mirantur; qui blasphemos in Dei majestatem tam indulgenter haberi, & tam impunes norunt. Hoc enim in priorem tabulam Decalogi peccatum est, adeoque furto multò atrocius. Sed acriores sunt homines in privatis suis rebus tuendis & vindicandis, quàm in gloria Dei asserenda: etsi non male hoc tempore Catonis illud usurpari possit: Fures privatos in nexu & compedibus vivere; publicos verò in auro & purpura. Idem putant Scotus in 4. Diss. 15. qu. 3. Amesius de conscientia lib. 5. Cap. 2. Bach. ad Tr. Vol. 2. Diss. 30. lit. G. Willenbach. ad ff. T. d. furt. n. 18. & diss. 41. ad Inst. n. 10. Ant. Matth. d. Crim. pag. 83. & seqq. qui injustitiam pœnæ Capitalis his argumentis demonstrare allaborat (1) quia adversatur hæc pœna juri divino, quod furem ære, non capite mulctat. Exod. 22. vers. 1. & seq. Est verò illud jus sanctum immutabile, ut nec abjici, nec detrahi quicquam posse videatur. Deut. 4. vers. 2. Apoc. Cap. ult. Omnes leges Mosaicæ, quæ pertinent ad tuitionem Decalogi, & fundamentum habent in naturali æquitate, hodieque Christianos obligant; lex hæc non est merè judicialis, sed ex parte moralis (2) mens & voluntas supremi legislatoris satis apertè colligitur ex illis furtorum generibus, quibus specialiter capitis pœnam irrogat, uti plagiariis Deut. 24. vers. 7. Sacrilegis Jos. 7. Inde perspicuum, nequaquam Deum voluisse simplex furtum morte plecti (3) adversatur laqueus Justitiæ distributiæ, quæ dicitur pœnam delicto justâ proportionem respondere debere. At nulla est proportio inter vitam hominis & summam quinque aureorum (4) qui damnum injuriâ dat licet dolo faciat atque etiam damnum illud quinque solidos excedat, non tamen ullâ lege capite punitur. E. g. Si equum occidero, quantivis pretii sit, tanti condemnor, quanti is equus plurimi fuit anno retrorsum computato, cur ergò puniatur capite, qui equum abstulit. (5) Stuprum non violentum morte non punitur: Stupro verò levius est furtum. (6) Adul-

terium Jure divino capite punitur. *Levit. 20. v. 10. Deut. 22. v. 22. Job. 8. v. 5.* Verum illa argumenta, quæ in hanc partem adferuntur, non sunt talia, ut assensum extorqueant. Licet enim jus naturale præcipiat in genere, ut delicta puniantur; Sine quo enim sancta mortalium societas non potest conservari, illud jus naturale præcipit. At nisi delicta puniantur non potest sancta mortalium societas conservari: Ergo ut delicta puniantur, jus naturale præcipit. Non tamen genus pœnarum determinat, quòd est permillum legum conditoribus, quibus proinde fas est, severius delicta punire, atque ea quoque, per quæ fortunæ tantum bonis nocetur, capite plectere; Si viderint publicè id expedire, nec meliori ratione cives à flagitiò deterreri posse. Illa verò proportio quæ debet esse inter culpam & pœnam, non spectat absolutè & nudè materiam delicti, sed respectum habet ad finem, ut in quieto sit vita communis & imperturbata maneat civium inter se societas. Quæ itaque pœna est talis, ut ejus metu cives à delinquendo non videantur revocari posse, illa non est proportionata delicto ratione finis, licet aliàs per se & ratione damni, quod illatum est satis sit gravis. Bellè de illa proportionè observanda disserit Dn. Puffendorff. *Elem. Jurispr. Vnivers. lib. 1. Def. 21. S. 11.* ubi ita scribit: *In hoc tamen, quantum fieri potest, equalitas in penis observanda, ut equaliter peccantes equalia patiantur, nec quod in uno plebitur delictum, alteri circa gravissimam causam condonetur; quippe cum ejusmodi inequalitas periculosis Rerump. turbis materiem soleat præbere; & effectu suo caret pœna, quæ non publico, sed privato libidini data videtur. Ceterum equalitas isthac intelligenda est de eodem delicto, non de diversis. Nam sæpenumero delicto, quod in se levius videtur, in foro humano gravior est pœna constituta, & contra, ex necessitate Reip. aut arbitrio legislatorum; quam inequalitatem reus, tanquam inique secum agatur, haudquicquam potest allegare; quippe quam præscribit, & dum se Magistratui subjecit, ipse adprobasse censetur. Sic v. g. etsi furti crimen in se longè levius sit homicidio; nullam tamen fur querendi causam habet, si ipse, qui cum homicida equalia non commisit, equalia tamen cum eodem, nempe capitale supplicium, patiatur. Cujus ratio est, quia pœna velut seorsum singulis delictis imponitur ea quantitate, quam usus Reip. postulare videtur, nec ad aliorum peccatorum diversi generis pœnæ necessariò debet attemperari, ita ut quam rationem unius delicti gravitas*

gravitas ad gravitatem alterius delicti habet, eandem etiam eorundem
 pœnae inter se habeant. Scilicet quia mensura pœnarum in foro huma-
 no non est sola peccatorum gravitas in se, sed eadem conjuncta cum re-
 spectu ob usum Reipublicæ. Sic multa quoque sunt delicta, quorum unum est
 altero gravius, æquè tamen morte vindicatur, quia morte gravius supplici-
 um inveniri nequit, nisi quod interdum, ubi atrocius fuit peccatum, mor-
 ti cruciatus præmittantur. Caterum ut idem peccatum peccantibus æ-
 qualis pœna rectè imponatur, omnino ad conditionem personarum est re-
 spectuendum, quæ pœnam vel maxime intendit, aut minuit. Sic quæ igno-
 minia vili alicui homini exiguum est malum, virum insignem vehementis-
 sime afficit; & quæ multa copioso alicui levis erit, tenuem omnibus for-
 tunis evertet. Quæ accuratè illi observanda, cui istiusmodi pœnas ritè
 attemperare cordi est. Nec arbitramur necessarium, ut semper in omni-
 bus rebus publicis illa delictis pœna imponatur, quæ Jure divino Ebræo-
 rum exprimitur, quia ista civilis erat lex Judæorum, in qua, quæ adjectæ
 erant pœnæ, ex genio istius populi ac reipublicæ per positivam Dei dispo-
 sitionem determinabantur, sed cum diversorum populorum diversa sit
 conditio, ad hanc genus pœnarum attemperare convenit Puffendorff.
 dicta Def. 22. §. 9. Mart. Chemnit. 2. part. loc. Theol. præc. 7. circa finem,
 qui in locis Theologicis ita pluribus disserit: *Quæritur hic: An justum,
 sit fures puniri suspendio, cum lex divina hanc pœnam non constituerit?*
*Sed vera responsio est constitutiones Mosaicæ nostras politias non obligare,
 quia facinorosis rectè pœna imponi pro ratione illius regulæ, ut
 communis pax & tranquillitas conservetur, malum de terra auferatur,
 ac damna reprimantur, ut ceteri timorem habeant; Multis enim grassan-
 tibus delictis opus est exemplo: Et ipse Deus in politia Mosaica ostendit
 pœnas furti pro circumstantia rei ablata vel mitigari vel exasperari, ut
 quidam quadruplum, quidam quintuplum reddant, quidam venundentur,
 quidam morte muldentur* Dn. Brentzius in cap. 22. Exodi pag. 203. Dn.
 Tabor pag. 474. *Quamquam inquit, ultimum supplicium furibus inferen-
 dum, videatur esse crudelius, quàm Deus in lege Mosi ordinavit; Lex ta-
 men Mosi non pertinet ad politiam Romanam, & supplicia externa pos-
 sunt à magistratu bona conscientia augeri, si ratio temporis, feritas gentis
 & aliæ circumstantiæ delicti id exegerint. Magistratus enim Dei mini-
 ster est, ultor ad iram ei, qui quod malum est fecerit.* Caterum non est

ſentiendum (liceat & hoc adſcribere) quod fur, etiamſi laqueo ſuſpen-
datur, expiet ex ſupplicio peccatum ſuum coram Deo: Nullam enim hu-
manum ſupplicium poteſt pro peccatis in iudicio Dei ſatisfacere. Sed
expiat tantum coram hominibus, videlicet ut & ipſe deinceps non furetur,
& alii à furto deterreantur. Quid ergo faciat fur jam ſuſpendendus?
Num deſperet de ſalute ſua? minimè omnium. Sed agnoſcat peccatum
ſuam, agnoſcat ſe hoc ſupplicium meritum, & credat in Chriſtum, quòd
ipſus paſſio expiaverit peccata ſua. Quod ſi hoc fecerit, tantum abeſt,
ut ſupplicium laquei afferat ſaluti ipſius aliquid incommodi, ut potiùs eo
ſupplicio ſerviat Deo, & miniſtrum Dei agat. Concionatur enim ſupplicio
ſua: Non eſſe furandum: ac deterret alios à furto, concionari autem
& alios à peccato debortari, eſt cultus & miniſterium Dei. vid. Philip
Melancht. in loc.com. Theol. cap. de magiſtrat. Nec adverſantur argu-
menta in contrarium allata, quorum vis ex eis, quæ antè diximus facilè
labefacti poteſt. Illa enim lex Exodi non eſt moralis, ſed forenſis, cir-
ca quas leges obtinet axioma Theologorum ac Jèſtorum, nimirum illam
abrogatam eſſe. Et ſtatuiſmus nos jus, quod in ſacris continetur, triplex
eſſe: Morale, Ceremoniale, Judiciale. Primò quod Morale attinet, il-
lud omnino eſt immutabile & perpetuum, ſemper & ubique gentium.
Quod ad jus Ceremoniale & Judiciale attinet, illud pro ſingulari gentis
Ebrææ indole, genio ac alia conſideratione rerum ac circumſtantiarum
particulari conſtitutum, & pro varietate rerum, locorum ac temporum
ſubinde mutatum. Ceremoniale per Chriſtum ſublatur eſſe Paulus
teſtatur Gal. 4. verſ. 9. & cap. 4. verſ. 1. Coloff. 2. verſ. 16. & 17. Ebræor. 9.
verſ. 9. 10. Judiciale quod forenſe illud peculiariter Hebræis contigiffe
certum eſt. Reink. de regim. ſecul. lib. 2. claſſ. 2. c. 3. Grot. lib. 1. c. 1. p. 10.
Ubi probat, nulla parte legis Ebrææ quæ lex eſt propriè, id eſt, quatenus
opponitur legi morali, nos obligari, quia obligatio extra jus naturæ venit
ex voluntate legem ferentis: Deum autem voluiſſe, ut alii, quàm Iſraeli-
tæ, iſtâ lege obligentur, nullo iudicio poteſt deprehendi. Non igitur,
nos quod attinet, probanda eſt ulla legis abrogatio, nam nec abrogari po-
tuit eorum reſpectu, quos nunquam obſtrinxit Hugod. Roy de eo quod ju-
ſtum lib. 2. tit. 3. num. 6. Quæ cum ita ſint, non tantum præter, verum et-
iam contra jura ceremonialia ac Judicialia ſeu forenſia jus ac juſtum con-
ſtitui poteſt, prout bonum publicum & communis omnium ſalus cuique
populo

populo expetere videtur. SALUS namque POPULI SUPREMA, nec scripta, sed nata LEX EST. Notanda distinctio finis in finem CUI & CUJUS. FINIS CUJUS hoc est, cujus gratia leges in civitate sunt constituendæ, nominatur à Philosopho *lib. 1. Rhet. Cap. 4.* cum inquit: *In legibus consistit salus civitatis*, civitati verò stat sua salus cum qualis instituta, talis conservatur, sive sit recta, sive non, id est *ἐνθαυτῆς*. FINIS CUI, hoc est subjectum, cui bono legis sunt institutæ, est civitas legibus administranda & conservanda. Non enim leges ad unius atque alterius, sed ad omnium utilitatem sunt constituendæ, si recta sit Respublica. Non itaque est valida consequentia à Republica Hebræorum ad nostrum statum imperii Romano Germanici, qui longè est diversus ab illa. Apposité Augustinus Epist. 5. ad Marcellinum. *Non itaque verum est*, inquit, *quod dicitur, semel rectè factum nullatenus est mutandum, mutata quippe temporis causa, quod rectè antè factum fuerat, ita mutari recta ratio plerumque flagitat: Vt cum ipsi dicant, rectè non fieri si mutaretur, varietas contraclamet, rectè non fieri nisi mutetur*, sed prout præfens Reipublicæ status pro ratione temporis & aliarum circumstantiarum flagitat, pœnarum gradus sunt constituendi. Illa constitutio, quæ sur suspendio ple&itur, est purè pœnalis forensis, quia contrectationem rei alienæ non vetat, sed homini rem alienam auferenti tantum pœnam determinat, interim illum actum jure naturali prohiberi, docet alia lex, quæ furtum explicitè vetat & prohibet, & ea est lex naturalis, quæ à lege pœnali est distincta. Fallunt igitur & falluntur, qui illam legem *Exod. 22.* ad moralem referunt. Nec magnopere laborandum de proportionè observanda in pœnis, potest enim civilis majestas in Republica ad conservandam publicam pacem & tranquillitatem civium, pœnam non capitalem convertere in capitalem, urgente statu Reipublicæ. Hinc quando majestas sub capitali pœna aliquid prohibet, tunc transgressor legis non tantum propter rem subtractam punitur, sed potissimum ob violatam legem à Majestate promulgatam. Contumacia & contemptus ordinationis Carolinæ imò ipsius divini ordinis, pœnæ exaspèrationem tuetur Luth. *Cap. 2. Gen. pag. 81.* vid. Tabor *in Rac. Crim. pag. 474.* Accedit quòd Carolus V. in condenda illa lege adhibuerit non tantum imperii Principes, sed etiam Consiliarios, Jctos, nec non Theologos, quorum operâ & industriâ ordinatio criminalis fuit conscripta & promulgata,
præfat.

præfat. Ordinat. Crim. in verbis: Demnach haben Wir / sampt
 Churfürsten / Fürsten und Ständen auff gnädig geneigten Willen
 etliche trefflich erfahrenen Persohnen befehlen ein Begriff / wie und
 welcher gestalt in peinlichen Sachen und Rechtsfertigung den Rechts
 ten und Billigkeit am gemästen gehandelt werden möge / zu machen /
 in eine Form zusammen zu ziehen. *ex Recess. Imp. Ratisb. de Anno 1532.*
Rubr. Halsgericht betreffend in verb: Nach dem auch die Hals oder
 peinlich Gerichts-Ordnung. *Nec non Recess. August. de Anno 1530.*
 §. Wiewol die Hals und peinliche Gerichts-Ordnung. *Ex quo*
firmiter concludimus, eo tempore non superfuisse alium modum furta
illa frequentissima in Imperio Romano compescendi, quàm pœnam.
strangulationis, ac Imperatorem Statusque omnes Imperii suadentibus
Consiliariis & juris Sacerdotibus æquisimis de furibus in furcam tollendis
æquisimam legem constituisse omni tempore ob publicum Reipub-
licæ commodum valdè necessarium. Carpzov. pract. Crim. part. 2.
qu. 77. Dn. Tabor in Racem. Crim. pag. 505. Id etiam docet Aristoteles
2. polit. cap. ult. ubi ait: Legis latores in puniendis delictis sæpè respi-
cere πρὸς τὸ συμφέρον, id est, ad id quod publicè expedit, ut Claudius
Saturninus in l. 16. §. ult. ff. d. pœnis scribit, supplicia exacerbari oportere
quoties nimium multis grassantibus exemplo opus est. In quam-
sententiam etiam differit Cæcilius apud Gell. lib. 20. cap. 7. ubi ait, acer-
bitatem ulciscendi maleficia plerumque benè atque cautè vivendi esse di-
sciplinam. Vin. ad §. 5. Inst. d. furt. Johannes à Sande in decis. Frificis
lib. 5. tit. 9. Cæterùm Jctus de Jure respondens & furi suspendii pœnam
dictans in foro conscientia satis tutus est, cum ille non de legibus, sed
secundum leges judicet. Et ita etiam excusamus Pastorem seu mini-
strum Ecclesiæ, furem ut moris est, ad patibulum concomitantem, qui id
etiam bona cum conscientia facere potest. Dn. Bechman. ad tit. ff. d.
furt.

XXX. Verum, ut pœna in constitutione Carolina definita lo-
 cum habeat, prudenter sunt ponderandæ circumstantiæ ipsius delicti
 commissi, an nimirum sit cum effractione conjunctum, an verò simplex
 sit. De illo tenenda est hæc regula: Si furtum cum armis, vel affractione
 violentâ non arcæ, sed ædium factum, aut conscensione per scalas, aut
 fur armis accinctus, quibus obstitentem lædere possit; quia talia furta
 sunt pe-

sunt periculosa gefährliche Diebstahl. Ob hæc furta sine respectu quantitatis vir laqueo, mulier aquis suffocanda, aut vel membro aliquo fur est mutilandus *artic. 159.* Ut verò fur ob modicum furtum laqueo puniatur, requiritur talis effractio, quæ non est simplex sed violenta & per instrumenta Carpz. *pract. crim. p. 2. q. 79. n. 19.* quæ sententia, licet verbis dictæ Constitutionis non conveniat, æquitati tamen videtur congrua Confer. Dn. Tabor *in Racemat. criminal. pag. 465. n. 5. & pag. 482. n. 22.* Effractio tamen horrei vel stabuli hoc in casu sufficiet. Dn. Tabor *in racem. criminal. p. 480. n. 19.* discrepat Carpzovius *d. q. 79. n. 34.* Pro effractore verò non habendum putamus, qui clave adulterinà utitur, uti præjudiciis Scabinorum Lipsiensium confirmat Carpzovius *d. q. 79. n. 41. qui n. 44.* arbitratur, quòd effractoribus stramineorum tectorum levior pœna debeatur, quæ sententia non videtur in jure fundata: quia non seditiosa, sed periculosa effractio requiritur, quæ & hic est. Ein gestiffener gefährlicher Diebstahl, oder da einer Bergewältigung und Verletzung zubesorgen. Et miseri agricolæ, eò magis ab inquietudine sunt liberandi, quò magis injuriis aliorum sunt expositi. Vide sis Dn. Tabor *in Tract. d. metat. ad l. Devotum §. C. d. metatis & in Racem. pag. 482.* Quanquam hoc casu mitiorem sententiam amplexi sint Dn. Scabini, Carpzov. *d. qu. 79. n. 44. & I. F. R. S. p. 4. C. 32. d. 12.* idem pronunciantes, quando fur in villa aut oppido tegulas in tectis defringit atque evelit, quò res ex ædibus surripiat & furtum faciat. Tum enim, nisi furtum valorem quinque solidorum excedat, furem laquei pœnam nequam mereri, Carpz. *d. q. 79. n. 46.* quod tamen generalitas Constitutionis Carolinæ, in eine Behausung oder Behaltung brechen oder steigen vix admittit. Et si conscensio ædium per scalas ex mente Caroli V. pœnæ locum facit, uti fatentur Scabini, Carpz. *d. q. num. 49.* quidni conscensio conjuncta cum tecti fractura sive ruptura & irruptione eidem quoque locum relinquet? Vid. Dn. Tabor *in Racemat. p. 482. in fin.* Si est simplex furtum absque effractione commissum distinguunt Dd. an fur commissum excedat valorem quinque solidorum, an non? Primò casu affirmant, pœnam laquei locum habere, Carpzov. *in pract. Crim. part. 2. qu. 78. n. 30. & seqq.* Verùm Imperator Carolus V. *in artic. 160.* hoc non simpliciter statuit, sed si cum quantitate circumstantiæ adgravantes criminen concurrunt, ut si damnum exsurgat ejus, qui furtum passus, Dn.

Tabor in *Rac. Crim. p. 472.* Imò & concurrentibus circumstantiis est cautela tutior; siquidem ob urgentes circumstantias ob furtum primum poena laquei dicitur, sed reservatâ mitigatione superiori, ut facti sunt Scabini Lipsienses. Carpzov. *pract. Crim. part. 2. q. 80. num. 18.* Et ita quoque se facere notat Dn. Tabor in *Rac. Crim. pag. 480.* Si verò plures furtum commiserunt, nullus horum poenâ ordinariâ plectendus, nisi factâ divisione rei furtivæ, cujusque portio ad valorem quinque ducatorum ascenderit, Carpz. in *pract. Crim. part. 2. q. 78. num. 37. & seqq.* In æstimatione valoris ipsius saltim rei ratio habenda, an fur ultra quinque solidos sit furatus, licet minus lucrum senserit, puta, minore pretio rem ablata vendens *artic. 160. Const. Carolin.* Si de valore rerum ablatarum certò constare non possit, res furtiva, si exstet judicialiter æstimari debet; si non exstet, standum juramento ejus, cui furtum factum *l. Si quando C. unde vi.* Carpz. in *practic. Crim. p. 2. q. 78. n. 55. & seqq.* Quod si verò Dominus jurare noluerit, judex ad poenam suspendii pervenire non potest, sed fustigatio cum relegatione perpetua dicitur erit; parum enim refert, an de ipso facto, an verò de rei furtivæ pretio & valore incertus sit judex; Quia non minùs de hoc, ac de illo constare debet, ut poena ordinaria suspendii furi infligatur, quam sententiam in pronuntiando sequuntur Scabini Lipsienses, Carpz. *pract. Crim. part. 2. q. 78. n. 64. & seq.* Posteriori casu, si furtum non excedit valorem quinque solidorum, fur mitiori poenâ, utpote fustigationis, relegationis aut carceris pro arbitrio judicis punitur, nisi concurrant tria distincta furta: quò casu poena est capitalis, eò quod, qui ter furatus est, fur sit famosus & similis ei, qui vim commisit, ein mehrer verlesunder Dieb/ und auch einem Vergevaltigen gleich geachtet/ licet fur pro uno vel duobus furtis poenam sustinuerit, modo tria illa furta non saltim re, sed & tempore sint distincta, sive in eodem territorio, sive in diversis sint commissa, sive sint parva, sive sint magna. vid. Math. Steph. *ad artic. 162.* Dn. Hahn. *ad Wesenbec. tit. d. furt. num. 15.* Brunnem. *ad ff. tit. Arbor. furt. Cesar. in appendic. num. 16.* quamvis & hic quantitatem rerum furtivarum attendendam arbitretur. Carpz. *p. 2. q. 78. num. 83. & seqq. & I. F. R. S. pag. 4. c. 32. d. 5.* Andr. Cludius in *tract. de condic. furtiv. c. 50. num. 56.* Notandum hic, quia poena suspendii communiter habetur atrocior poenâ gladii, quod concurrentibus duobus delictis, quorum unum gladio, alterum vero laqueo

ro, laqueo punitur, hæc nempe laquei pœna, ceu atrocior, præferenda sit, & pro utroque crimine imponenda, veluti concurrentibus delictis furti & homicidii, & aliis criminibus responderunt Scabini Lipsienses, Carpz. in *pract. Crim. part. 3. q. 132. n. 42. & seqq.* Et illud hoc loco commodè quæri potest: An fure ultimo supplicio punito, & laqueo suffocato, domino rei furtivæ civilis actio competat contra heredes furis ad damnum, vel interesse? De jure civili certum est, conditionem furtivam contra hæredem furis dari domino ad rem furto ablatam sibi restituendam, aut si non amplius extet, ad damnum resarciendum. *l. 9. ff. d. condict. furtiv.* Matth. Wefenb. in *parat. ff. d. cond. furt. num. 7.* Sed an hodie in Imperio Romano Germanico idem obtineat, expeditum non est, postquam furti pœna cœpit esse ultimum supplicium? Affirmantium sententiam, tuentur Andr. Rauchbart *part. 2. q. 10. num. 17.* Virgil. Pingitz. *quæst. 49. num. 53.* Sigismund. Finckelhauf. *observat. 59. num. 32. & seqq.* qui ita à Facultate juridica Lipsiensi Anno 1629. & Facultate juridica Wittenbergensi in eodem casu pronunciatum refert; Negantium castra sequuntur Matth. Berlich. *part. 3. concl. 45. num. 16.* Modest. Pistor. *part. 1. quæst. 11. num. 5. & 6.* hæc difficultas adhibitâ distinctione diluitur, An res furtiva adhuc extet, & in bonis furis reperiatur, ut tunc, licèt fur fustigatione aut etiam laqueo punitus fuerit, domino competat rei vindicatio seu condictio furtiva adversus heredes furis suspendio puniti Pingitz. *d. q. 49. num. 1.* Johan. Koppen. *dec. 8. num. 12.* An vero sit consumpta & perditâ, & tunc heredes furis ad præstationem damni & æstimationem rei furtivæ non teneantur Petr. Heig. *part. 2. q. 23. num. 10.* Carpz. in *pract. Crim. part. 2. quæst. 80. num. 101. & seqq.* qui *num. 110.* hæc ita accipi vult, si pœna suspendii vel fustigationis reo infligatur, quod si vero contingat, ut fur relegatione vel carcere puniatur, quin is simul ad restitutionem damni ac præstationem æstimationis condemnari queat, dubium non est. Postremo videndum, an Judæi fures à pedibus sint suspendendi? Dicimus, ubi hoc legitimâ consuetudine receptum est, in illis locis illam observantiam merito observari; verum ubi talis consuetudo non viget, regulariter fures Judæi non minùs ac Christiani à collis sunt suspendendi; utuntur enim jure communi Romano, & secundum leges Romanas judicantur, atque excipiunt *l. Judæi 8. C. d. Judæis*; quapropter etiam juxta sanctionem juris communis pœnas luere debent.


Quod igitur in jure dispositum non reperitur, illud non est statuendum: Atqui in jure nullibi dispositum reperitur, quod fur a pedibus debeat suspendi: Ergo hic modus suspendii in Judæis furibus non est exercendus. Matth. Berlich. *part. 5. concl. 45. num. 31.* Veluti consulti Domini Scabini Lipsienses a Prætorè Lipsiensi M. G. Judæum Pragensem ob furtum Lipsiæ commissum more solito ac consueto a collo suspendendum esse, responderunt Anno 1619. Carpzov. *pract. Crim. part. 2. q. 88. n. 45. 46.* & ita etiam ante aliquot annos ad requisitionem Regiminis Buckeburgensis a Facultate Juridica in hac illustri Academia responsum, a Domino Præsìde percepti. Ex quibus causis pœna capitalis furti cesset, tractat eleganter Dominus. Hahn ad Wesenb. *tit. d. Furtis num. 15.* Carpz. *pract. Crim. part. 2. p. 88.* Atque hæc ex materia hac amplissima secundum datam à Domino Deo & Salvatore nostro Jesu Christo scientiam & intellectus vigorem *l. 3. in fin. pr. C. de vet. jur. enucleand.* per indices tantummodo *l. 1. §. 12. C. cod.* delibasse sufficiat. Tu Benevole Lector, si quid illius, quod omnibus hominibus commune est, passus fuerim, id benignè interpretare. Meliora enim doceri ac erudiri desidero; Nec me pigebit, sicubi hæsitaverim, quærere, nec pudebit, sicubi errarim, discere.


Gloria fit soli, quo cœpimus auspice cursum,
Et portum attigimus, vela regente DEO.











the scale towards document

apiens, suo jure usus sit, imo addere quod domi-
lentem, servato moderamine inculpatæ tutelæ
tuit Lesius *d. I. & I. lib. 2. c. 12. dub. 12. num. 69.*)
Philosophiam vid. Dn. Felden *ad Gr. d. c. 2. §. 6.*
furtum non committitur, cum scienter & ex con-
suetudine famis adacti, à pœna tamen excusan-
faciunt, cui resistere humana ratio nequit. Di-
casu planè licitam esse, cum fiat non invito Do-
netur consentire contrectanti, siquidem is jure
us negando, contrectationem fieri volente Do-
um, qui expressè contradicit, sed etiã is, qui
invitus dicitur. Tabor. *in Racem. crim. d. l. &*
um invitum in tali casu contra dictamen rectæ
legem Christianæ charitatis graviter peccare, in-
ceptum est, ut esurienti panis frangatur, & nu-
ur, Deut. XIII, 11. Esai. XXXVIII, 7. Prov. IX. 7.
XVIII, 7. Sirach. XXIX, 12. & XIII, 2. 6. Tob. IV.
Grot. in annot. pag. 335. & seqq. Quo perti-
Parabolica Ambrosii in can. sicut. 11. 8. distinct.
minis habenti tollere, quam cum possis & abun-
Esurientium panis est, quem tu detines, nudo-
tu recludis & c. Exinde tamen concludi ne-
tat jus Domino rei suæ invito id auferendi, quod
etur. Illud enim, quod quis debet, non ex ju-
virtute aliã, puta, liberalitate, gratiã, miseri-
oro exigì non potest; Ad hoc enim non sufficit,
ex morali ratione faciendum, sed præterea opus
ad illud competens, quale jus interdum leges
etiam circa debita aliarum virtutum, quod cum
io accedit, quæ jam ad justitiam pertinet, Grot.
ganter Seldenus *d. I. N. G. juxta discipl. Ebraeor.*
t, ab ipso juris naturæ autore Deo profluxisse,
nequaquam cedat extremæ alterius necessitati.
ites nullatenus permissum pauperibus suis ut-
cedatis, quicquam ex alieno sibi sumere, sed ro-
gando